ADDITIONES
AD COMMENTARIA
CONSTITVTIONVM
Congregationis
CLERICORVM
REGVLARIVM.

In quibus explicantur duo eiuſdem Congregationis Decreta, de electione Vocalis, Capitulo Generali interfuturi.

Et aliquot Regulares quæſtiones iterum ad examen adducuntur.

Authore
D. ALEXANDRO PEREGRINO CAPVANO
Clerico Regulari.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE, Typis Hæredum Gulielmi Facciotti. 1634.

Superiorum Permiſſu.

NOS infraſcripti ex commiſſione Adm. R.P. Generalis, & eius Conſultorum, diligenter perlegimus Additiones ad Commentaria Conſtitutionum Congregationis Clericorum Regularium R.P.D. Alexandri Peregrini Clerici Regularis,& nihil in illis reperimus,quod ſanæ doctrinæ,& bonis moribus repugnat, ſed valde vtiles illas iudicauimus prædictæ Congregationi , ac etiam alijs , & ideo cenſemus typis mandari poſſe. Romæ die 21.Nouembris 1633.

Ego D.Paulus Maria Quartus , Clericus Regularis , & Sac. Theologiæ profeſſor,affirmo vt ſup.manu propr.

Ego D. Eraſmus Santillus Clericus Regularis , & Sacræ Theologiæ profeſſor,affirmo vt ſupra manu propria.

CVM Additiones ad Commentaria Conſtitutionum Congregationis Clericorum Regularium à P. D. Alexandro Peregrino compoſitę, & noſtra authoritate à duobus Patribus noſtris Theologis recognitæ , & approbatæ ſint; vt typis mandentur (modo ijs ad quos ſpectat id viſum fuerit) facultatem concedimus. In quorum fidem præſentes litteras manu noſtra ſubſcriptas,& ſigillo noſtræ Congregationis munitas damus. Neapoli in ædibus noſtris S.Pauli maioris , die 28. menſis Nouembris 1633.

D. Matthæus Santomango Præpoſitus Generalis Clericorum Regularium.

Loco † ſigilli.

D. Franciſcus Barrilius Secret.

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſſ.P.M.S.Pal.Apoſt.
A. Torniellus Viceſg.

EGo D. Thomas de Afflictis Clericus Regularis, ex mandato Reuerendiſſ. P. Fr. Nicolai Riccardij Sacr. Palatij Apoſt. Magiſtri, diligenter perlegi Additiones ad Commentaria Conſtitutionum Clericorum Regularium R. P. D. Alexandri Peregrini Clerici Regularis,& nihil in illis reperi,quod ſanæ doctrinæ, & bonis moribus aduerſetur, ſed illas valde vtiles iudico prædictæ Congregationi, ac etiam alijs, qui illas perlegerint,& ideo cenſeo typis mandari poſſe. Romæ die 25. Nouembris 1633.

Ego D. Thomas de Afflictis Clericus Regularis Sacræ Theol.profeſſor,affirmo vt ſup.manu propria.

Imprimatur
Fr. Nicolaus Riccardius Sac. Pal. Apoſt. Magiſter Ord. Prædicatorum.

RR. IN CHRISTO PATRIBVS
AC FRATRIBVS

CLERICIS REGVLARIBVS

D. Alexander Peregrinus S.

CVM noſtræ Congregationis Capitulum Generale an.1627. duo Decreta edidiſſet circa electionem Vocalis, Generalibus Comitijs interuenturi, multę ſtatim in illis tum mihi, tum alijs difficultates obortæ ſunt, quas in vnum collectas, diuque expenſas, & accuratè examinatas, obſeruata in primis noſtrorum Conſultorum conſuetudine; ita me per aliquot reſolutiones dilucidaſſe, plerique arbitrati ſunt, vt nullus pænè ambigendi locus ſupereſſet. Aliquot præterea dubia Regularium tum in noſtrarum Conſtitutionum commentarijs, tum in ſcholijs Compendij noſtrorum Priuilegiorum expendi, & explanaui; id breuiter aſſerens, quod mihi æquius, ac religioſæ pietati conformiùs viſum fuit. Verum cum nimium rigoris meas ſententias continere quidam exiſtimauerint, ob idemque impugnauerint, illas ad diligentiùs examen

men

men reuocare conſtitui, vt vel ſic magis veritas eluceat; intelligantque non rigoroſas appellandas eſſe ſententias, quæ tum maiorem probabilitatem præſeferunt; tum ad conſcientiarum ſecuritatem, & ad totius Religionis bonum plurimum conferunt. Quapropter ad omnium vtilitatem, & vt multorum etiam votis ſatisfaciam, has Additiones, (ſubiectas quidem Catholicæ correctioni) typis tradere decreui; quas etiam arbitror poſtremas mihi fore lucubrationes, vtpote & ſenio, & valetudine laboranti, ac ſcriptioni iam penè inualido. Hos ergo paruos quidem, ſed (vt ſpero) non inutiles labores, quos libentiſſimè vobis offero, libenti etiam animo ſuſcipite, & in ſacrificijs, ac orationibus veſtris, mei (quod enixè rogo) memineritis. Valete.

INDEX DVBIORVM
·PRIMAE PARTIS·

Nempe Decreti , In Vocalis, &c.
quod eſt p.3.c.1.n.10.

1 *QVomodo intelligatur dictio illa*,à tempore,*in pręſenti decreto poſita;in quo ſi faciẽda ſit aſſignatio alicuius Vocalis in aliqua domo, debeat fieri à P. Generali, & Conſultoribus,per ſecreta ſuffragia,nemine diſcrepante?*

2 *Si aſſignatio alicuius Vocalis eſſet facta à P.Generali, & Conſultoribus,ſequenti die,poſt refectiones Præpoſitorum, & Viſitatorum; vtrum hic Vocalis aſſignatus haberet vocem in electione Vocalis pro Capitulo Generali?*

3 *Vtrum Vocalis aſſignatus poſt tempus conſtitutum ad reficiendos Præpoſitos,& Viſitatores, dum non habet ius in electione Vocalis pro Capitulo Generali, habeat ſaltem ius in aliјs actionibus pertinentibus ad officium Vocalatus, videlicet,an habeat vocem in Capitulis Domus, & poſſit eligi in Vicarium illius Domus,&c.?*

4 *Vtrum tranſacto tempore, quo Præpoſiti, & Viſitatores reficiuntur,poſſit P.Generalis, vna cum Conſultoribus, etiã per vota ſecreta,& nemine diſcrepante,aliquem Vocalem aſſignatum in vna Domo, ad aliam mittere, (abſque cauſa neceſſaria, vel publica à decreto requiſita) ibique eum aſſignare?*

5 *Si P.Generalis,vna cum Conſultoribus,poſt tempus refectionum Præpoſitorum,& Viſitatorum,vellet remouere aliquem Vocalem ex vna domo,eique aliam aſſignare cum cõſenſu dicti Vocalis, vtrum neceſſe eſſet dictam aſſignationem fieri per vota ſecreta, & nemine diſcrepante?*

6 Si

6 *Si aliquis Vocalis in tertio anno, & poſt tempus, in quo Præpoſiti, & Viſitatores reficiuntur, & ante electionem Vocalis pro Capitulo Generali, à P. Generali, & Conſultoribus per ſecreta ſuffragia, & nemine diſcrepante, & cum conſenſu dicti Vocalis, eſſet cum aſſignatione de vna domo ad aliã tranſlatus, abſque cauſa neceſſaria, vel publica à decreto requiſita: Et omnes & ſinguli Vocales domus, in qua eſt vltimo loco aſſignatus, capitulariter congregati, & per ſecreta ſuffragia, nemine diſcrepante, admitterent illum ad habendum ius in electione Vocalis pro Capitulo Generali, ita vt poſſet eligere, & eligi, Vtrum acquireret hoc ius?*

7 *Vtrum P. Generalis diſpenſare poſſit præſenti decreto, ita vt vocalis, de quo in præcedenti dubio tractatum eſt, poſſit habere votum in domo illi aſſignata in electione Vocalis pro Capitulo Generali, ſaltem cum conſenſu omnium, & ſingulorum Vocalium Domus, vltimo loco illi aſſignatæ?*

8 *Vtrum illæ duæ limitationes poſitæ in fine præſentis decreti (nempe*, Niſi ſecus fieri, aut neceſſitas imminens, &c. *Et alia*, Aut publicũ Congregationis bonum exigat *) referantur ad omnia ſupradicta, vel ad dicta in vltimo articulo tantum?*

9 *Si aliquis Vocalis alicuius domus fuiſſet aſſignatus in illa domo ante refectiones Præpoſitorum, & Viſitatorum, quæ fieri ſolent in tertio anno, & poſt refectiones ſupradictas, eſſet abſens ab illa domo ex cauſa iuſta, & cum licentia Patris Generalis: ſed ſine cognitione cauſæ, facta à Capitulo Domus, an eſſet cauſa neceſſaria nec ne: vtrum perdat ius interueniendi in electione Vocalis pro Capitulo Generali?*

10 *Quomodo intelligatur illa dictio* iugiter, *poſita in Decreto?*

11 *Vtrum verbum* iugiter, *poſitum in decreto, habeat locum*

in electionibus, quæ ſiunt poſt diem primum, & ſecundum Nouembris?

12 *Si Capitulum domus in tertio anno, & poſt refectiones Prępoſitorum, & Viſitatorum iudicauerit cauſam neceſſariā & imminentem mittendi aliquē Vocalem ſuæ domus extra ciuitatem, & ille iuerit abſq. licentia P.Generalis, ſed tantū ſui Præpoſiti localis, vtrum dictus Vocalis amittat ius ingrediendi ad electionem Vocalis pro Capitulo Generali?*

13 *Si alicui Vocali ob publicum Religionis bonum occurreret per diuerſas Religionis domus peragrare, & cum licentia P.Generalis. Et quia non conueniret abſque voce adeſſe in dictis domibus, P.Generalis aſſignaret illum domui, in qua pro tempore occurreret permanere, non nominando aliquam domum particularem: Dubitari poſſet ſi tertio anno, poſtquam Præpoſiti, & Viſitatores refecti ſunt, occurreret dicto Vocali per diuerſas domos diſcurrere, in qua domo aſſignatus intelligeretur, ita vt in electione Vocalis pro Capitulo Generali poſſit eligere, & eligi?*

14 *Si P.Generali, & omnibus, & ſingulis Conſultoribus in tertio anno, & poſt refectiones Præpoſitorum, & Viſitatorū, congruum videretur mittere aliquem Vocalem Prædicatorē de domo, in qua eſt aſſignatus, ad aliam ad concionandum infra annum: vtrum poſſent aſſignare illum domui, in qua erit concionaturus, ſine conſenſu dicti Vocalis, & Vocalium domus, in qua erit prædicaturus?*

15 *Vtrum P.Generalis vna cum omnibus, & ſingulis Conſultoribus poſſit transferre N.Vocalem, & Confeſſarium ex domo S.Nicolai Venetiarū, & illū aſſignare domui S.Mauritij Mantuæ, in tertio anno, & poſt refectiones Prępoſitorū & Viſitatorū, & ante electiones Vocalium pro Capitulo Generali, & abſque conſenſu dicti Vocalis, pro imminenti neceſſitate, quam habet domus Mantuæ vnius optimi Confeſſarij propter mortem alterius, qui deceſſit in dicta domo?*

16 *Vtrum in Capitulo domus,in quo eſt agendum, an cauſa propter quam Vocalis non commoratur in domo ſibi aſſignata ſit neceſſaria,& imminens,debeat interuenire, & habere votum Præpoſitus domus,nec ne?*

17 *Si N.Vocalis ſit aſſignatus in domo S.Nicolai,& in tertio anno per menſem ſtet extra domum, cum licentia Superioris, ſed ſine cauſa publica Religionis, approbata à P. Generali,& Conſultoribus; nec priuata, approbata à Capitulo domus: vtrum in electione Vocalis pro Capitulo Generali facienda in illa Domo, poſſit intereſſe, dum à P. Generali, & ſuis Conſultoribus non ſit declaratum, non habere votum in dicta electione?*

18 *Si occurreret N.Vocalem alicuius domus abeſſe,ob cauſã neceſſariam,& imminentem,a domo ſibi aſſignata,& Capitulum domus per ſecreta ſuffragia declararet cauſam non eſſe talem, vtrum N. poſſet appellare ad P.Generalem, & Conſultores,& ipſi poſſent contrarium decidere?*

19 *Vocali,qui tempore, quo reficiuntur tertio anno Præpoſiti & Viſitatores, pro aliqua certa domo aſſignatur, quanta mora præfigatur, ad hoc,vt ſe transferat ad dictam domum aſſignationis abſque præiudicio iuris, quod habet ad electionem Vocalis pro Capitulo Generali?*

20 *Si aliquis Vocalis domus S.Siri Ianuæ,in tertio anno,& poſt refectiones Præpoſitorum,& Viſitatorũ, per tres menſes permaneret in domo S.Petri de Arena, ante electionem Vocalis pro Capitulo Generali, cum licentia ſui Superioris, ſed abſque cauſa neceſſaria, vtrum perdat ius interueniendi in dicta electione Vocalis? Et idem dubium fieri poſſet de domo Vici Aequenſis,& Tuſculanæ.*

21 *Si aliquis Vocalis domus S. Andreæ in Valle Romæ,in tertio anno,& poſt refectiones Præpoſitorum, & Viſitatorũ, & ante electionem Vocalis pro Capitulo Generali,& cum licentia P.Generalis, ſed nulla exiſtente cauſa neceſſaria,vel pu-*

pu-

publica, per duos, aut tres menſes commoretur in noſtra domo Tuſculana, vtrum amitteret ius intrandi in electionem Vocalis pro Capitulo Generali?

22 *Si in tertio anno, & poſt refectiones Præpoſitorum, & Viſitatorum, & ante electionem Vocalis pro Capitulo Generali, vacaret officium Vicariatus Vici Aequenſis, vel domus Tuſculanæ, &c. Vtrum Pater Generalis, ad quem ſolum pertinet eorum electio, vt patet ex Conſt. p. 3. c. 9. n. 12. & Conſuetudine, poſſet eligere in Vicarium aliquem Vocalem alterius domus, quæ non ſit ex illis, ex quibus dependent, & ſunt cõiunctæ: & ipſe Vicarius habeat poſtea vocem in electione Vocalis pro Capitulo Generali in ea domo, cui eſt coniuncta domus Vicariatus?*

23 *Vtrum in tertio anno, & poſt refectiones Præpoſitorum, & Viſitatorum, & ante electionem Vocalis pro Capitulo Generali, poſſit P. Generalis ſolus Vocalem aſſignatum in noſtra domo Vici Aequenſis, aſſignare domui SS. Apoſtolorum Neapoli, cui ſubeſt in præſenti anno?*

24 *Si alicui Vocali ex aſſignatis in domo noſtra Vici Aequẽſis, ex cauſa neceſſaria imminente, occurreret abeſſe à dicta domo, in tertio anno, & poſt refectiones Præpoſitorum, & Viſitatorum, & ante electionem Vocalis pro Capitulo Generali: ad quod Capitulum ſpectaret cognitio neceſſitatis cauſæ, nempe ad Capitulum domus Vici Aequenſis, vel domus SS. Apoſtolorum, ex qua dependet, vel ad vtrumque ſimul coniunctim?*

25 *Vtrum diſpoſitio præſentis Decreti, habeat etiam locum in electione Conſultoris pro Capitulo Generali?*

26 *Si occurreret aliqua imminens neceſſitas, vel publicum bonũ Congregationis, quo cogeretur aliquis Conſultor abeſſe è domo S. Silueſtri Romæ in tertio anno, & poſt tempus in quo Præpoſiti, & Viſitatores reficiuntur, & ante electionem Vocalis pro Capitulo Generali, quis debet cognoſcere de iuſti-*

tia cauſæ, Capitulum domus Sancti Silueſtri,vel Tribunal Conſultationis?

27 *Ponamus,quod P.Generalis,vna cum Conſultoribus in tertio anno,& poſt electionem Vocalis pro Capitulo Generali transferat N.Vocalem,qui eſt aſſignatus in domo SS. Apoſtolorum,in domum S.Pauli Neapoli,& ibi eum aſſignet, nõ pro aliqua imminente neceſſitate, neq. ob publicũ Congregationis bonum, & facta aſſignatione N. Vocalis electus pro domo S.Pauli ad Capitulum Generale, moriatur: cũ de nouo in domo S.Pauli ſit congregandum Capitulum pro noua electione Vocalis,in locum mortui: vtrum N. Vocalis aſſignatus de recenti in dicta domo S.Pauli, poſt primam electionẽ Vocalis, poſſit interuenire in dicto Capitulo pro nouæ electione facienda,& poſſit eligere,& eligi, ſicut alij Vocales ſtante præſenti decreto?*

28 *Vtrum cognitio cauſæ; propter quam aliquis Vocalis eſt abſens à propria domo aſſignationis in tertio anno; an ſit ob publicum Congregationis bonum, nec ne, ſpectet ad Capitulum domus,vel ad P.Generalem vna cum Conſultoribus?*

29 *Quando N.Vocalis ad bonum commune Religionis cogitur abeſſe à domo ſuæ aſſignationis per menſem,vel duos mẽſes(exempli gratia)vtrum ad iſtam declarationẽ faciendũ, quod ſit ob bonum commune Religionis,requiratur,vt omnes & ſinguli Conſultores concurrant, vel ſufficiat maior pars? Et ſimiliter ad dandam licentiam commorandi extra domum,pro cauſa prædicta:vtrum requiratur, vt vna cum voto Patris Generalis, concurrant etiam omnes, & ſinguli Conſultores,vel maior pars, vel ſufficiat ſola licentia Patris Generalis?*

30 *Si aliquis Vocalis abeſſet à domo propter bonum commune ciuitatis, vtrum amitteret ius in electione Vocalis pro Capitulo Generali?*

31 *Vtrum cognitio cauſæ abſentiæ alicuius Vocalis à*

pro-

propria domo aſſignationis, ſit necne ex cauſa neceſſaria, imminente, vel ob bonum publicum Congregationis debeat præcedere abſentiam, vel ſufficiant ſi poſt abſentiam fiat?

32 – *N. Vocalis in tertio anno à ſuo Præpoſito fuit aſſignatus comes alicuius fratris, vel Vocalis, qui ob aliquam cauſam iuit extra ciuitatem, cum licentia P. Generalis, ſed per longum tempus fuit abſens à propria domo: quæritur nunc, an amiſerit ius ingrediendi ad electionem Vocalis pro Capitulo Generali?*

33 *N. Præpoſitus in tertio anno, in quo Præpoſiti, & Viſitatores reficiuntur non eſt confirmatus, ſed remanet abſque alio officio; Nec in ipſa die, in qua refecti ſunt Præpoſiti, & Viſitatores eſt à P. Generali, & Patribus Conſultoribus aſſignatus in aliqua domo: quæritur cuius domus cenſendus vt habeat vocem actiuam, & paſſiuam in electione Vocalis pro Capitulo Generali?*

INDEX DVBIORVM
SECVNDAE PARTIS.

Nempe Decreti, Vt certa ſit, &c.
quod eſt p. 3. c. 1. n. 9.

1 *Facta intimatione à Præpoſito Domus pro electione Vocalis: quæritur, quando fieri debeant ſchedularum ſcrutinia?*

2 *Vtrum electores Vocalis pro Capitulo Generali debeant iurare ante electionem, ſe electuros probiores, ac magis idoneos, ſecundum veritatem cuiuſque conſcientiæ, iuxta decretum Reformationis Regularium, num. 36. æditum à Clemente Octauo?*

3 *Poſito, quod electores Vocalis pro Capitulo Generali teneantur ante electionem iurare, non ſolum iuxta formam decreti noſtri Capituli Generalis, quod eſt par. 3. cap. 1. num. 14. ſed etiam iuxta formam decreti Clementis Octaui, 36. de reformatione Regularium: quæritur, vtrum ſi non præſtentur dicta iuramenta, vel aliquod illorum, electio ſit nulla?*

4 *Vtrum ſchedularum ſcrutinia omnia fieri debeant in eadem ſeſſione, vel poſtquam cœpta ſunt, differri poſſint?*

5 *Vtrum facto ſecundo ſchedularum ſcrutinio, ſi de facto ex communi conſenſu Vocalium differatur ſcrutinium ad aliã ſeſſionem, computari debeant in ſecunda ſeſſione illa duo ſcrutinia facta in prima ſeſſione, nec ne?*

6 *Quando dubium eſt, an aliquis Vocalis poſſit in electione Vocalis pro Capitulo Generali interuenire; vel alia difficultas oriatur: nec adeſt tempus recurrendi ad Patrem Generalem, & ſuos Conſultores, quis poſſit hanc dubita-*

tationem decidere, Præpoſitus domus tantum, vel Vocales abſque Præpoſito, vel omnes ſimul capitulariter congregati?

7 *Si de facto Vocales Domus declarent N. Vocalem non poſſe intereſſe electioni Vocalis pro Capitulo Generali: & facta dicta declaratione, faciant electionem, non vocato N. quæritur, an dicta electio ſit valida?*

8 *Si aliquis Vocalis vocis actiuæ, & paſſiuæ in electione Vocalis pro Capitulo Generali renunciaſſet pro illo actu voci paſſiuæ, vtrum poſſit interuenire illi electioni, tamquam Vocalis vocis actiuæ tantum?*

9 *Si omnes, & ſinguli Vocales alicuius domus nollent electionem Vocalis pro Capitulo Generali facere, vtrum poſſint hoc facere?*

10 *Suppoſita præcedenti concluſione, quod omnes, & ſinguli Vocales alicuius domus teneantur eligere Vocalem pro Capitulo Generali: quæritur nunc, ſi de facto non eligant intra tempus ſtatutum, vtrum profeſſione ſenior cenſeatur electus?*

11 *In quarto ſchedularum ſcrutinio duo fuerunt declarati à ſcrutatoribus, de quibus facienda erat electio, & in quinto ſcrutinio vnus illorum fuit electus: ſed facta electione occurrit impedimentum, propter quod ad Capitulum Generale accedere non poterit: quæritur nunc, vtrum ad aliam electionem ſit accedendum, vel alter relictus in quinto ſchedularum ſcrutinio cenſeatur electus?*

12 *Quando Vocalis electus pro Capitulo Generali dicit ſe aliquo detineri impedimento, propter quod ad Capitulum Generale accedere nequit: quæritur, an ei credendum ſit, vel teneatur illud probare? & ad quem ſpectet illud iudicare, an ſit iuſtum, nec ne?*

13 *Vtrum Vocalis actiuæ, & paſſiuæ vocis, cæcus (qui ante Ca-*

Index.

Capitulum erat talis) poſſit eligi ab electoribus in Vocalem pro Capitulo Generali?

14 *Si facto quarto ſcrutinio non ſequatur electio, & ſeligantur duo, quibus plures è Vocalibus fuerint ſuffragati: quæritur, ſi non ſequatur electio alterius illorum duorum in primo ſcrutinio, ſed ſint paria vota: vtrum profeſſione ſenior cenſeatur electus, vel ſecunda, & tertia vice debeat fieri ſcrutinium?*

15 *Quando duo, qui habent paria vota, ſcrutinio ſubijciuntur de nouo, & nemo eligitur (cum ſecundum decretum profeſſione antiquior cenſeatur electus:) quæritur, quis antiquior profeſſione cenſeatur electus, nempe alter ex dictis duobus, vel profeſſione ſenior ex Vocalibus Capituli?*

16 *Vbi plures fuerint Vocales, ſi facto quarto ſchedularum ſcrutinio, nullus fuerit electus, & duo fuerint nominati, quibus plures è Vocalibus fuerint ſuffragati: & vnus de duobus nominatis nollet amplius Capitulo intereſſe, quæritur vtrum poſſit hoc facere, vel teneatur aſſentire nominationi de ſe iam factæ, iuxta decretum, quod eſt part. 3. cap. 1. num. 2.*

17 *Stante ſupradicta deciſione, quæritur, vtrum alter nominatus, abſque alio ſchedularum ſcrutinio, intelligatur electus, vel alius erit nominandus, loco illius, qui ſe ſubtraxit?*

18 *Stante etiam ſupradicta deciſione, quæritur ſi alius erit nominandus, quis erit? ille ne, qui plura vota habuit ex illis Vocalibus, qui remanſerunt facto quarto ſchedularum ſcrutinio, vel ille, qui eſt profeſſione ſenior inter illos Vocales, qui remanſerunt?*

19 *Vtrum nominatus in quarto ſchedularum ſcrutinio, qui ſe exemptauit, poſſit in aliorum electione ferre ſuffragium?*

20 *Quid*

20 *Quid ſi duo Voeales ex quinque paria vota habuerint, An quando de eorum electione agitur, debeant & ipſi ſimul cum alijs tribus interuenire, & alter alteri neceſſario ſuffragari? An verò debeant abeſſe, ità vt tota electio ad tres tantummodo Vocales pertineat, qui eligere debeant alterum ex illis duobus?*

21 *Quia poteſt accidere (in pluralitate votorum) vt aliqui in primo, vel ſecundo, vel tertio ſchedularum ſcrutinio plura habeant vota, non tamen in quarto: & in quarto alij plura habeant vota, ſed non in maiori numero, quam habuerint illi in primo, vel ſecundo, vel tertio ſcrutinio: Quæritur, an electio duorum fieri debeat ex ijs, quibus plures fuerint ſuffragati in quolibet ex quatuor ſcrutinijs, vel ex ijs, qui in quarto tantum ſcrutinio plura habuerunt vota? Et ſimiliter (in paritate votorum) quia contingere poteſt, vt vbi plures ſunt Vocales, plures habeant paria vota in primo, vel ſecundo, vel tertio ſcrutinio, & ſint diuerſi ab illis, qui in quarto ſchedularum ſcrutinio etiam paria vota habuerunt: Quæritur, quinam erunt illi duo profeſſione ſeniores nominandi, illi ne, qui in quarto tantum ſchedularum ſcrutinio paria vota habuerunt, vel illi profeſſione ſeniores, qui in quolibet ex primis tribus ſcrutinijs paria vota habuerunt?*

22 *Quid ſi quinque fuerint Vocales, & ex eis vnum tantũmodo fuerit, cui plures, puta duo fuerint ſuffragati, cæteri verò ſinguli, ſingula vota habuerint: an eo caſu ſit eligendus ille ſolus, cui duo Vocales fuerunt ſuffragati: an verò etiam cum illo alter profeſſione antiquior, cui vnus tantum Vocalis eſt ſuffragatus, de quorum duorum dumtaxat electione deinceps per ſecretas ſchedulas agatur?*

23 *Si in aliqua domo, per accidens, ſint duo tantum Vocales, & vnus nolit alterum eligere, quis illorum poſſit, vel debeat ad Capitulum Generale venire?*

24 Si

24 *Si in vna domo ſex adſint Vocales, ex quibus duo nolint electioni intereſſe, quæritur, ſi in quarto ſchedularum ſcrutinio nullus ſit electus, vtrum procedendum ſit ad quintum ſchedularum ſcrutinium, vt notatum eſt in Decreto, verſiculo,* In qua domo tres tantum, &c. *vel ſint à ſcrutatoribus nominandi duo, vt notatum eſt in prima parte Decreti?*

25 *Vtrum diſpoſitio præſentis Decreti habeat etiam locum in electione Conſultoris pro Capitulo Generali?*

IN-

INDEX
TERTIAE PARTIS.

Continentis nonnullas Regularium Quæſtiones.

1 *SI Nouitius, dum eſt in Religione grauiter delinquat, à quo puniri debeat?*

2 *In Congregatione noſtra Clericorum Regularium adeſt Decretum, tenoris ſequentis:* Nemo noſtrum ſua peccata extero Sacerdoti confiteri queat, ſed ijs tantummodo noſtratibus Confeſſarijs, qui à Præpoſito domus fuerint deſignati, non obſtante quocumque priuilegio, cui ex nunc, totius Religionis nomine renunciamus, ac cedimus. *Quæritur nunc, vtrum ſupradictum Decretum comprehendat Prælatos dictæ Religionis?*

3 *Vtrum ſtante Decreto noſtræ Congregationis, enarrato in principio præcedentis quæſtionis, quo prohibetur, vt nemo noſtrum ſua peccata extero Sacerdoti confiteatur, non obſtã-te quocumq; priuilegio, cui nomine totius Religionis renunciatum fuit, poſſint Præpoſiti Locales noſtræ Congregationis licentiam tribuere vni ex noſtris, ſibi ſubdito, vt confiteri poſſit Confeſſario extra Religionem noſtram?*

4 *Quando Regulares ex licentia, vel priuilegio confitentur extra Ordinem, vtrum teneantur eligere Confeſſarium ab Ordinario approbatum?*

5 *Ponamus, quod aliquis Præpoſitus Vocalis noſtræ Religionis, cui non deficit commoditas confitendi Confeſſarijs noſtræ Religionis, vellet confiteri ſimplici Sacerdoti noſtræ Religionis, qui non eſſet admiſſus ad confeſſiones audiendas à noſtro Patre Generali, cui reſeruata eſt facultas cõcedendi*

talem

talem licentiam, vtrum poſſit dictus Sacerdos dictum Præpoſitum abſoluere?

6 *Vtrum in miniſtrandis, & recipiendis Sacramentis neceſſarijs ad ſalutem, tutiores opiniones amplecti debeamus, quando id poſſumus abſque detrimento?*

7 *Vtrum Præpoſiti locales noſtræ Religionis poſſint dare licentiam, vt Sacerdotes ſimplices audiant aliquando confeſſiones fratrum?*

8 *An Confeſſarius ſæcularis, non deputatus ad audiendas confeſſiones Nouitiorum, poſſit abſoluere Nouitios Regulares, etiam à peccatis in Religione reſeruatis?*

9 *An Confeſſarij deſignati à Superiore Regulari ad audiẽdas ſuorum ſubditorum confeſſiones, poſſint abſoluere Clericos nouellos profeſſos ſtantes ſub cura Magiſtri?*

10 *An Prælati locales Regulares poſſint concedere dimiſſorias ſuis Nouitijs, vt ab Epiſcopo ordinentur?*

11 *An relinquere Miſſam ſolemnem diebus feſtiuis in noſtris Eccleſijs, ſit peccatum mortale?*

12 *An Regulares, virtute ſuorum Priuilegiorum, poſſint commutare, vel diſpenſare vota extra confeſſionem?*

13 *An quis ex præſumpta voluntate Superioris poſſit aliquem abſoluere?*

FINIS.

PARS

PARS PRIMA.

Exponitur primum Decretum circa electionem Vocalis ad Generale Capitulum acceſſuri.

Quod incipit In Vocalis, &c. Et habetur par. 3. cap. 1. nu. 10.

Verba Decreti ſunt hæc.

In Vocalis Capituli Generalis electione, nemo actiuam, neque paſſiuam vocem habeat, qui ſaltem à tempore, quo tertio Præpoſiti, ac Viſitatores refecti renunciantur, in ea ipſa domo aſſignatus non fuerit, quod ſi eo tempore quiſpiam aſſignandus foret Vocalis, id fiat à P. Generali & Conſultoribus per ſecreta ſuffragia, nemine diſcrepante.

Sic autem aſſignatus iugiter inibi vſque ad electionis tempus commoretur, niſi ſecus fieri, aut neceſſitas imminens, à Patribus Capituli domus ipſius cognita, & per ſecreta ſuffragia, probata, aut publicum Congregationis bonorum exigat.

Pro explicatione ſupradicti Decreti examinantur infraſcripta Dubia.

PRIMO Dubitatur, Quomodo intelligatur dictio illa, *tempore*, in præſenti Decreto poſita; in quo ſi facienda ſit aſſignatio alicuius Vocalis in aliqua Domo, debeat fieri à P. Generali & Conſultoribus per ſecreta ſuffragia, nemine diſcrepante?

Reſpondeo, quod duobus modis intelligi poteſt, Vno modo, à feria ſecunda poſt diem Dominicam ſanctiſſimæ Paſchatis Reſurrectionis tertij Anni, vſque ad diem, in qua reficiuntur Præpoſiti & Viſitatores. Et ratio eſt, nam ab illa die feriæ ſecundæ refici poſſunt, (quamuis ſit prior, quam dies, in quo Capitulum Generale incipi ſolet) vt patet ex Conſtitutione par. 3. cap. 5. num. 3. & ex eius Commentario litera c. Et confirmatur, quia, cum dicta dictio ſit temporis, & non diei, plures dies comprehendere videtur.

Altero modo intelligi poteſt, (& eſt probabilior ſententia) vt intelligatur de die in qua reficiuntur Præpoſiti & Viſitatores; & illa dictio *à tempore*, explicari debeat à die; ſiue aſſignationes Vocalium fiant ante, ſiue poſt refectionem, dummodo fiant in ipſa die. Et ratio eſt, quia illa dies eſt vltimus terminus temporis, in quo Vocales aſſignari poſſunt virtute præſentis Decreti, ad hoc vt habere poſſint ius in electione Vocalis pro futuro Capitulo Generali. Quod patet ex dictionibus *ſaltem*, & *non*, poſitis in dicto Decreto. Ex quibus conſtat, quod ſi Vocalis non ſit aſſignatus, ſaltem (ideſt ad extremum) à tempore, (ideſt à die) quo tertio anno Præpoſiti, & Viſitatores reficiuntur, non poteſt habere ius in electione

Vo-

Vocalis pro Capitulo Generali.Ergo ſicut dictio *tempore*, primo loco poſita in præſenti Decreto, accipitur pro illa die, in qua Præpoſiti & Viſitatores reficiuntur, ita etiam eadem dictio ſecundo loco poſita, accipi debet, dum dicit, *quod ſi eo tempore, &c.* quia refertur ad primam dictionem temporis. Et per conſequens, ſi eo tempore, ideſt ea die facienda ſit aſſignatio alicuius Vocalis,debet fieri à P.Generali & Conſultoribus per ſecreta ſuffragia,nemine diſcrepante.

Secundo probatur, Quia cum hic agatur de reſtrictione facultatis P.Generalis,quæ eſt odioſa, & contra facultatem illi conceſſam à Clemente VIII. ſequitur, quod ſtricta facienda ſit interpretatio, vt minus reſtringat quod poſſit, iuxta Regulam, Odia reſtringi, & fauores conuenit ampliari, de Regul. Iur. in 6.

Dixi, ſiue poſt Refectionem, dummodo fiant in ipſa die, quia accidere poteſt, vt aliquis Præpoſitus non confirmetur in Officio Præpoſituræ, Vnde cum aſſignandus ſit in aliqua Domo, poteſt fieri dicta aſſignatio poſt Refectiones Præpoſitorum & Viſitatorum: & talis aſſignatus in illo tempore à P. Generali & Conſultoribus per ſecreta ſuffragia, & nemine diſcrepante, habebit ius in electione Vocalis pro Capitulo Generali in illa Domo ei aſſignata.

Secundo Dubitatur. Si aſſignatio alicuius Vocalis eſſet facta à P. Generali & Conſultoribus ſequenti die, poſt refectiones Præpoſitorum & Viſitatorum:Vtrum hic Vocalis aſſignatus haberet vocem in electione Vocalis pro Capitulo Generali? Reſpondeo, quod duæ poſſunt eſſe opiniones, vna affirmatiua, & altera negatiua. Pro affirmatiua facit Regula Iuris quam tradit Sebaſtianus Medices Regula quinta,quæ talis eſt, Parum,& Nihil æquiparantur. quam probat tex.in cap.Licet cauſam,de Probationibus, ibi, Nulla vel Modica eſt fides adhibenda, & §.ſed quia, Inſtitut. de Fideicommiſſarijs hæreditatibus, ibi, Ob nullum vel minimum lucrum; ſed aſſignatio

facta parum diſtat à die conſtituta, Ergo æquiparari debet, ac ſi eſſet facta in ipſa die conſtituta.

Pro parte vero negatiua, quæ probabilior videtur, facit primo Dictio illa, *ſaltem*, poſita in Decreto, quæ eſt dictio ſubſiduaria,& importat idem quod in ſubſidium, ideſt ad extremum, vt docet Baldus in conſ.69. Factum tale eſt, num.2. & Caſtren.conſ.79.Pro pleniori,num.7. quos refert,& ſequitur Tuſcus lit. D. concl. 367. num.3. & 4. Ex qua colligitur, quod ad extremum requiritur, vt àſſignatio ſit facta à tempore, (id eſt à die,vt dictum eſt in præcedenti Dubio primo) quo tertio anno Præpoſiti & Viſitatores reficiuntur.

Secundo probatur ex dictionibus, *nemo*, & *non*, poſitis in Decreto, quæ ſunt vniuerſales negatiuæ, vt docet Abbas conſ. 3. & Bartolus conſ. 47. quos refert & ſequitur Cardinalis Tuſcus lit. D. concl.316. excludentes quemcumque alium non aſſignatum ab illo tempore,quo Præpoſiti,ac Viſitatores reficiuntur; Et negatiua plus negat,quam affirmatiua affirmat, vt docet Tuſcus loco præallegato. Vnde cum aſſignatio Vocalis non ſit facta ſaltem à tempore, id eſt die, (vt dictum eſt in præcedenti dubio) quo reficiuntur Præpoſiti & Viſitatores, qui eſt vltimus terminus temporis aſſignationis ad hunc effectum, ſequitur,quod non habeat vocem in electione dicti Vocalis pro Capitulo Generali.

Nec obſtat Regula allata pro contraria opinione, nam parum & nihil non æquiparantur in totum, ſed parum diſtare videntur, vt patet ex eiſdem textibus,ibi, Nulla,vel modica; Ergo ſi modica, non ex toto nulla, dicit ibidem gloſa verbo Modica. Et ſimiliter ibi; Ob nullum,vel minimum lucrum; Ergo ſi minimum,non eſt ex toto nullum. Vnde ſequitur,quod licet aſſignatio ſupradicta, facta ſequenti die, parum diſtet ab aſſignatione facta tempore Refectionum Præpoſitorum ac Viſitatorum, tamen non eſt facta in eodem tempore & per conſequens non eſt facta tempore requiſito à Decreto:

Quod

Quod tempus requiritur pro forma, ad hoc vt Vocalis habeat ius in electione Vocalis pro Capitulo Generali, vt colligitur ex dictionibus *nemo*, *non*, & *ſaltem*, poſitis in dicto Decreto. Et confirmatur ex l. 3. §. Minorem.ff.de Minoribus, vbi deciditur vigintiquinque annos, ne deinceps aliquis minor dicatur, reſtitutioque ſibi concedatur, complendos eſſe de momento ad momentum. Ergo ſimiliter in caſu noſtro, tempus aſſignationis Vocalis numerari debet de momento ad momentum, ne deinceps aliquis Vocalis dicere poſſit ſe habere ius in electione Vocalis pro Capitulo Generali.

Tertio Dubitari poteſt, Vtrum Vocalis aſſignatus poſt tempus conſtitutum ad reficiendos Præpoſitos & Viſitatores, dum non habet ius in electione Vocalis pro Capitulo Generali, habeat ſaltem ius in alijs actionibus pertinentibus ad Officium Vocalatus, videlicet, an habeat vocem in Capitulis Domus, & poſſit elegi in Vicarium illius Domus, & cætera? Reſpondetur affirmatiuè, quia per præſens Decretum eſt tantum priuatus ſuo iure in electione Vocalis pro Capitulo Generali. Et ita fuit declaratum præſens Decretum à P. Generali D. Philippo Maria Guadagno, & ſuis Conſultoribus die 19. Maij 1629. vt apparet ex libro Conſultationum fol. 35.

Quarto Dubitari poteſt, Vtrum tranſacto tempore, quo Præpoſiti & Viſitatores reficiuntur, poſſit P. Generalis vna cum Conſultoribus, etiam per vota ſecreta, & nemine diſcrepante aliquem Vocalem aſſignatum in vna Domo ad aliam mittere, abſque cauſa neceſſaria, vel publica, à Decreto requiſita, ibique eum aſſignare? Reſpondetur negatiuè, abſque conſenſu illius Vocalis: & ratio eſt, quia priuarent illum voce, in illa actione electionis Vocalis pro Capitulo Generali, quod facere non poſſunt abſque rationabili cauſa: Sed cum conſenſu dicti Vocalis poſſent; quia vnuſquiſque iuri ſuo renunciare poteſt, cap: Ad Apoſtolicam, de Regular. l. penult. C. de Epiſcopis & Clericis. & ſicut poteſt non ingredi ad dictam

actio-

actionem, vt patet ex part. 3. Decretorum cap. 1. num. 3. ſic etiam poteſt iuri ſuo renunciare: Sed non haberet ius in electione Vocalis in illa Domo vltimo loco aſſignatus; quia non eſſet commoratus in dicta Domo tempore præſcripto à Decreto ad habendum dictum ius.

Quinto Dubitari poteſt. Si P. Generalis vna cum Conſultoribus, poſt tempus Refectionum Præpoſitorum, & Viſitatorum, vellet remouere aliquem Vocalem ex vna Domo, eique aliam aſſignare cum conſenſu dicti Vocalis, Vtrum neceſſe eſſet dictam aſſignationem fieri per vota ſecreta, & nemine diſcrepante.

Reſpondetur negatiuè, ſed ſufficeret maior pars, pro vt ſufficiebat ante præſens Decretum: ſed dictus Vocalis non haberet votum in electione Vocalis pro Capitulo Generali. Nec obſtat præſens Decretum, dum dicit, nemine diſcrepante, quia loquitur de illo tempore, in quo Præpoſiti & Viſitatores reficiuntur, vt dictum eſt in primo dubio. Vel quando eſſet amouendus, & aſſignandus in alia Domo, propter aliquā imminentem neceſſitatem cognitam à Capitulo Domus, vel publicum Congregationis bonum, vt dicetur in Dubitatione vndecima. Nec etiam obſtat Conſtitutio. part. 3. cap. 7. nu. 5. in fine, dum dicit, *Anno autem ante Capitulum proximo, niſi conſentiant Conſultores Vocales ne transferat*, quia intelligitur de maiori parte, ſicut in electione Præpoſitorum & Viſitatorum, & ſic eſt vſus. De votis vero ſecretis dico, quod ſic fieri debet, iuxta Decretum, quod eſt part. 3. cap. 7. nu. 28. Et licet loquatur de Capitulis Domus, tamen eadem ratio procedit de Conſultoribus, & proinde idem ius ſeruari debet. cap. Dudum, il ſecondo, de Electione. cap. Cum dilecta. de Confirmat. vtil. vel inutili. l. Illud. ff. Ad legem Aquiliam.

Nota. Ex ſupradictis apparet, quod ſi vocalis ſit transferendus de vna Domo ad aliam ante tempus (id eſt diem, vt dictū eſt in prima Dubitatione) in quo reficiuntur Præpoſiti & Viſitato-

tatores, P. Generalis ſolus cum conſilio Conſultorum poteſt transferre, & aſſignare; vt patet ex Conſtitutione part. 3. cap.7. num.5. ibi,Cum transferendi, &c. Si ſit transferendus & aſſignandus tempore (id eſt die) quo reficiuntur Præpoſiti & Viſitatores, non poteſt P. Generalis ſolus hoc facere, ſed requiritur, vt omnes & ſinguli Conſultores per ſecreta ſuffragia conſentiant. Et ſimiliter, ſi poſt dictum diem, quo reficiuntur Præpoſiti & Viſitatores, eſſet transferendus ob publicum Congregationis bonum, vel imminentem neceſſitatem approbatam à Capitulo Domus, vt patebit ex Dubit. 11. Si poſt diem, quo reficiuntur Præpoſiti & Viſitatores, ſit trãsferendus, abſque aliqua legitima cauſa, ex narratis in fine præſentis Decreti, requiritur conſenſus maioris partis Conſultorum per ſecreta ſuffragia, & etiam ipſius Vocalis, vt patet ex Dubitatione quarta. (Quod procedit etiam poſt electionem Vocalis pro Capitulo Generali, factam in menſe Nouembris, vt patebit ex Dubitatione 25.) Sed dictus Vocalis aſſignatus poſt dictum diem, & abſque cauſa legitima, & non ab omnibus & ſingulis Conſultoribus, non haberet vocem in Capitulo pro electione Vocalis pro Capitulo Generali. Quia ad hoc vt Vocalis tranſlatus & aſſignatus in alia Domo, poſt diem quo reficiuntur Præpoſiti & Viſitatores, habeat vocem in Capitulo pro electione Vocalis pro Capitulo Generali, neceſſe eſt, vt P. Generalis, & omnes & ſinguli Conſultores conſentiant, & vt adſit aliqua iuſta cauſa ex narratis in fine præſentis Decreti, vt patebit in Dubitatione 11.

Sexto Dubitari poteſt. Si aliquis Vocalis in tertio anno, & poſt tempus, in quo Præpoſiti & Viſitatores reficiuntur, & ante electionem Vocalis pro Capitulo Generali, à P. Generali & Conſultoribus per ſecreta ſuffragia, & nemine diſcrepante, & cum conſenſu dicti Vocalis, eſſet cum aſſignatione de vna Domo ad aliam tranſlatus, abſque cauſa neceſſaria, vel publica, à Decreto requiſita: Et omnes, & ſinguli Vocales Domus

in

in qua eſt vltimo loco aſſignatus,Capitulariter congregati, & per ſecreta ſuffragia,nemine diſcrepante, admitterent illum ad habendum ius in electione Vocalis pro Capitulo Generali,ita vt poſſet eligere,& eligi: Vtrum acquireret hoc ius? Reſpondeo,quod duæ poſſunt eſſe opiniones, Vna Affirmatiua, & Altera Negatiua. Pro affirmatiua facit primo noſtra Conſtitutio, quæ eſt part. 3. cap. 9. num. 8. vbi dicit, (hæc ſunt verba Conſtitutionis) *Vocales in quacunque Domo adſint, ſi in ea aſſignati non fuerint, extranei cenſeantur, ſuffragium ibi ferre non poterunt: neque Præpoſito abſente, in Choro, Refectorio, aut alibi iura Præpoſiti exercere, niſi omnes & ſinguli Vocales loci conſenſerint*. Et in eadem part. 3. cap. 2. num. 8. loquens Conſtitutio de Vocalibus,qui habent ius ferendi ſuffragium in Capitulo Generali, dicit hæc verba; *Qui compertus fuerit Capitulo Generali adeſſe non poſſe, admitti à maiori parte non poterit, niſi omnes & ſinguli Patres Capitulum iure ingreſſuri conſentiant, & nemo omnino diſſentiat.* Ergo dum in caſu noſtro, omnes & ſinguli Vocales per ſecreta ſuffragia conſenſerint, habebit dictus Vocalis ius in electione Vocalis pro Capitulo Generali. Secundo, dicta aggregatio facta à Capitulo Domus, nulli affert præiudicium, niſi ipſiſmet Vocalibus: ſed liberum eſt vnicuique iuri ſuo renunciare. cap. ſi de terra. extra de Priuileg. Ergo poſſunt dictum Vocalem aggregare ad habendum ius in electione Vocalis pro Capitulo Generali in illa Domo ei aſſignata. Pro parte negatiua, quæ probabilior mihi videtur, faciunt primo duæ dictiones, *nemo*, & *non*, poſitæ in dicto Decreto, quæ ſunt vniuerſales negatiuæ, excludentes omnem aliam perſonam non aſſignatam, ſaltem à tempore, quo reficiuntur Præpoſiti, & Viſitatores, vt probatum eſt ſupra in ſecundo Dubio, verſic. Secundo probatur, &c. Ergo cum Vocalis ille non ſit aſſignatus ab illo tempore, non poteſt Capitulum Domus tribuere ius illi, cui à Capitulo Generali denegatur. Secundo, Tempus

aſſignatum in præſenti Decreto Vocali, qui debet habere ius in electione Vocalis pro Capitulo Generali, requiritur pro forma, vt probatum eſt ſupra in ſecunda Dubitatione in fine, verſiculo Quod tempùs,&c. Ergo non ſeruata forma Decreti, nec Vocales,nec P. Generalis, nec alij poſſunt ei tribuere illud ius in electione Vocalis pro Capitulo Generali.

Nec obſtant allata pro opinione affirmatiua, quia ad primum reſpondetur, quod illæ Conſtitutiones non excludunt aggregationem fieri poſſe à Vocalibus Domus, & Capituli Generalis, immo expreſsè concedunt; ſed in caſu noſtro excluduntur Vocales per præſens Decretum per dictiones *nemo*, & *non*. Ad ſecundum negatur maior, quia affert præiudicium Religioni in communi, ob cuius bonum factum fuit præſens Decretum.

Contra ſupradictam reſolutionem, opponi poterit. Cum finis Decreti fuerit prohibere ne P. Generalis ad ſuæ voluntatis arbitrium Vocales in tertio anno ante Capitulum mutaret,& de nouo in aliqua Domo illos aſſignaret, & ex Conſtitutionibus poſſint omnes, & ſinguli Vocales alicuius Domus quemlibet Vocalem in propria Domo commorantem in corũ numerum aggregare, poſſunt illum admittere etiam ad electionem Vocalis; Tum quia ceſſat finis Decreti, Tum quia nulli fit præiudicium, Tum quia non derogatur priori legi per nouam,niſi in his,quæ ſunt in noua Conſtitutione expreſſa.

Reſpondeo, quod finis præſentis Decreti, non ſolum fuit ſupradictus, ſed etiam, vt nullus haberet vocem in electione Vocalis pro Capitulo Generali, niſi aſſignatus in Domo, iuxta formam præſentis Decreti, ad hoc vt Vocales iugiter permanerent in ſua Domo. Ergo non ſeruata forma aſſignationis, non poteſt habere vocem in dicta electione, dato quod ceſſet vnus finis: Nam quando plures cauſæ concurrunt ad eumdem effectum, vna ceſſante,non ceſſat aliarum effectus, l. 1.in principio.ff.ſi quis à parent.fuer.

manumiſſus. l.ſi non lex alia. ff.de hæred. inſtit. Ioann. Roias de Hæret. part.1. num.263.

Ad ſecundum de Conſtitutionibus, & ad tertium de præiudicio, patet reſponſio ex ſupradictis in verſ. Non obſtant allata pro opinione affirmatiua,&c. Ad vltimum de derogatione prioris legis per nouam, dico, quod expreſsè derogatur per dictiones *nemo*, & *non*, poſitas in præſenti Decreto.

Septimo Dubitari poteſt. Vtrum P. Generalis diſpenſare poſſit præſenti Decreto, ita vt Vocalis, de quo in præcedenti dubio tractatum eſt, poſſit habere votum in Domo illi aſſignata in electione Vocalis pro Capitulo Generali, ſaltem cum̃ conſenſu omnium, & ſingulorum Vocalium Domus, vltimo loco illi aſſignatæ? Et reſpondetur negatiuè, quia cum in præſenti Decreto ſit illa dictio *nemo*, quæ eſt oratio vniuerſalis negatiua, vt docet Abb. quem refert, & ſequitur Tuſcus lit. D.concl.*316*.ſequitur quod prohibeat omnem diſpenſationẽ.

Octauo Dubitatur, Vtrum illæ duæ dubitationes poſitæ in fine præſentis Decreti, (nempe, *Niſi ſecus fieri. aut neceſſitas imminens*, &c. Et alia, *Aut publicum Congregationis bonum exigat*) referantur ad omnia ſupradicta, vel ad dicta in vltimo articulo tantum?

Pro explicatione præſentis difficultatis aduertendum eſt,

Primo, quod præſens Decretum continet tres articulos; ſecundus eſt ibi, *Quod ſi eo tempore*, &c. tertius eſt ibi, *Sic autem aſſignatus*, &c.

Secundo eſt aduertendum, quod licet dicti articuli videantur diſtincti, tamen ſunt connexi ad vnum finem; Quod colligitur ex ſecundo articulo, qui refertur ad primum, dum dicit, *Quod ſi eo tempore faciendum ſit*, &c. Colligitur etiam ex tertio articulo, dum dicit, *Sic autem aſſignatus*, &c.

Nunc pro reſolutione difficultatis dico, quod referuntur ad omnia; id eſt, non ſolum quoad commorationem continuam in Domo, (de quo tractatur in vltimo articulo) ſed etiã

quo

quo ad aſſignationem, de qua tractatur in primo articulo, ſi in alio tempore ſit facienda, quam tempore, quo Præpoſiti & Viſitatores reficiuntur, ad hoc vt Vocalis aſſignatus habeat vocem in electione Vocalis pro Capitulo Generali. Et referuntur etiam ad ſecundum articulum: nam in dictis caſibus, ſi facienda ſit aſſignatio de vna Domo ad aliam, requiritur, vt omnes, & ſinguli Conſultores conſentiant vna cum P. Generali, ad hoc vt Vocalis aſſignatus poſſit habere vocem in electione Vocalis pro Capitulo Generali.

Probatur primo, Quia articuli ſunt connexi, vt ſupra probatum eſt in ſecundo præmiſſo: & non poteſt reddi ratio quare magis dictæ limitationes debeant concernere vnum articulum, quam alios: Ergo concernunt omnes articulos. Ita docet Crauetta in conſ. 149. & Romanus conſil. 480. In caſu col. 2. verſ. Capio nunc. quos refert & ſequitur Tuſcus lit. C. concl. 291. num. 7.

Secundo, Clauſula in fine poſita, refertur ad omnia, ſi nulla ſurgat abſurditas, vt probat Panorm. in cap. Secundo requiris. de Appellat. num. 11. & Bartolus in l. Talis ſcriptura. §. Nunc autem. num. 3. de Legat. primo. & late Tuſcus lit. C. concluſ. 291. Sed in caſu noſtro nulla ſurgit abſurditas, ſi dictæ limitationes referantur ad omnia ſupradicta: immo maxima congruentia, quia omnis Regula debet habere aliquam exceptionem in caſibus neceſſarijs, & ob bonum commune: Ergo dictæ limitationes in fine poſitæ, referri debent ad omnia contenta in dicto Decreto.

Tertio, Argumentum ab abſurdo vitando validum eſt in iure, cap. In geneſi, de Electione. cap. Ex ore. de Priuileg. & ibi Panorm. cap. Solite. de Maior. & obed. Sed multa abſurda ſequerentur in Religione, ſi per totum annum non poſſent Superiores amouere Vocales ab vna Domo, & alteri aſsignare, in caſibus neceſſarijs, qui occurrere ſolent, & ad vitanda ſcandala, & ob bonum commune Religionis: Ergo ad vitanda

abſurda, dictæ limitationes in fine poſitæ, referri debent ad omnia contenta in dicto Decreto.

Nono Dubitatur. Si aliquis Vocalis alicuius Domus fuiſſet aſſignatus in illa Domo ante refectiones Præpoſitorum & Viſitatorum, quæ fieri ſolent in tertio anno, & poſt refectiones ſupradictas, eſſet abſens ab illa Domo ex cauſa iuſta, & cum licentia P. Generalis: ſed ſine cognitione cauſæ facta a Capitulo Domus, an eſſet cauſa neceſſaria nec ne: Vtrum perdat ius interueniendi in electione Vocalis pro Capitulo Generali? Reſpondeo, quod duæ poſſunt eſſe opiniones, vna Negatiua, altera vero Affirmatiua; Pro opinione Negatiua faciunt illa verba Decreti, *Sic autem aſſignatus*, &c. quæ demonſtrant, verba ſequentia loqui de Vocali tantum aſſignato in illa Domo tempore, quo reficiuntur Præpoſiti & Viſitatores in illo tertio anno, & modo præſcripto per vota ſecreta, & nemine diſcrepante, & non de alijs Vocalibus ante, & alio modo aſſignatis; & ratio eſt, quia dictio *Sic*, eſt dictio taxatiua: & de natura dictionis taxatiuæ eſt, caſus diſſimiles excludere, vt docet Lancellotus Pulitus in ſuo Tractatu de Subſtitutionibus, Particula ſexta num. 45. Pro opinione vero affirmatiua, quæ probabilior videtur, eſt conſiderandum, quod intellectus legis ſumitur à ratione, & non à cortice verborum, vt probat tex. in l. ſcire leges. ff. de Legibus. & verba intentioni deſeruire debent. cap. Secundo requiris, extra de Appellationibus. Sed ratio præſentis Decreti fuit, vt Vocales commorarentur in Domo aſſignationis, ſaltem pro illo tempore: Ergo dum non commorantur iuxta formam præſentis Decreti, ſiue ſint aſſignati in tempore, quo reficiuntur Præpoſiti, & Viſitatores, ſiue ante, non habent ius in electione Vocalis pro Capitulo Generali. Secundo probatur ex verbis eiuſdem Decreti poſitis in prima parte, ibi, *nemo actiuam, neque paſſiuam vocem habeat* (nota) *qui ſaltem à tempore, &c.* Ergo non ſolum loquitur de Vocalibus aſſignatis in tertio anno à P. Generali &

Con-

Conſultoribus,ſed etiam de alijs antea aſſignatis, quia alias il-lud verbum *ſaltem*, eſſet fruſtratorium, quod non eſt dicendum. Tertio, ſequeretur abſurdum, quod Vocales eiuſdem Domus, diuerſas leges obſeruarent. Quarto, ſic fuit vſu receptum præſens Decretum;& vſus eſt optimus legum interpres. Quinto, clauſula in fine poſita refertur ad omnia,vt probatū eſt in præcedenti quæſtione in prima, & ſecunda ratione.

Decimo Dubitatur. Quomodo intelligatur illa dictio, *iugiter*, poſita in Decreto? Reſpondeo intelligi continuatè, ſemper, non quidem Mathematicè, ſed moraliter, & cum prudentia: ideſt frequenter ad arbitrium viri prudentis, vt ſumitur in Oratione Sanctiſſimi Sacramenti, & in l. Corruptionem. C. de vſufructu. & ita docet Viualdus in expoſitione Bullæ Sixti V. de Habitu, & tonſura num. 10. Vnde abſentia paucorum dierum à propria Domo, non noceret ad perdendum ius in electione Vocalis pro Capitulo Generali. Et iſta paucitas temporis eſt determinata à P. Generali D. Philippo Maria Guadagno, & ſuis Conſultoribus ad octo dierum ſpatium,pro toto illo tempore, nempe à quo Præpoſiti & Viſitatores reficiuntur vſque ad electionem Vocalis pro Capitulo Generali; vt apparet in libro Conſultationum, fol. 35. die 6. Iunij 1629.

Vndecimo Dubitatur. Vtrum verbum *iugiter*,poſitum in Decreto, habeat locum in electionibus, quæ fiunt poſt diem primum & ſecundum Nouembris? quod accidere poſſet,quādo Vocalis electus in primo, vel ſecundo die Nouembris moreretur. Et in anno 1632. in ſimili caſu,qui Venetijs contigit, fuit deciſum,habere locum in omnibns Vocalibus, non ſolum aſſignatis in principio tertij anni generalatus, ſed etiam in aſſignatis poſt electionem factam in primo, & ſecundo menſe Nouembris. Et hanc deciſionem probant rationes allatæ in Dubio vigeſimoquinto pro opinione Negatiua, & reſponſiones ad rationes pro parte Affirmatiua.

Duo-

Duodecimo Dubitatur. Si Capitulum Domus in tertio anno, & poſt refectiones Præpoſitorum & Viſitatorum iudicauerit cauſam neceſſariam,& imminentem mittendi aliquem Vocalem ſuæ Domus extra Ciuitatem,& ille iuerit abſque licentia P.Generalis,ſed tantum ſui Præpoſiti localis, Vtrum dictus Vocalis amittat ius ingrediendi ad electionem Vocalis pro Capitulo Generali? Reſpondeo,vel proficiſcitur ſeruata forma tradita in noſtris Conſtitutionibus part.2.cap.9.num.4. & 5. vel non: Si ſeruata forma,non amittit ius; quia licentia P.Generalis requiritur ex Conſtitutione, non autem ex præſenti Decreto, in quo nulla fit mentio talis licentiæ. Si non ſeruata forma ſupradictæ Conſtitutionis, puniri poteſt à P. Generali,vt transgreſſor Conſtitutionum, ſed non amittit ius ferendi ſuffragium in electione Vocalis pro Capitulo Generali; quia in præſenti Decreto, licet ſupponatur licentia P. Generalis ad non commorandum in Domo ſibi aſſignata, tamen non requiritur dicta licentia,ad hoc vt Vocalis habeat ius ferendi ſuffragium in electione Vocalis pro Capitulo Generali, ſed tantum iuſtitia cauſæ, cognita à Capitulo Domus.

Et è contra: Si Vocalis in dicto tertio anno, & poſt refectiones Præpoſitorum & Viſitatorum proficiſceretur extra Ciuitatem cum licentia P.Generalis per longum tempus, non ſeruata forma præſentis Decreti, amitteret ius in electione Vocalis pro Capitulo Generali. Dixi per longum tempus, quia ſi per breue tempus,ad arbitrium prudentis viri,eſſet abſens,etiam non ſeruata forma dicti Decreti, non amitteret ius in electione Vocalis pro Capitulo Generali: quia non dicitur abeſſe,qui per breue tempus non adeſt, vt dictum eſt ſupra in Dubitatione Nona.

Tertiodecimo Dubitatur. Si alicui Vocali ob publicum Religionis bonum occurreret per diuerſas Religionis Domos peragrare, & cum licentia P.Generalis, & quia non conueniret abſque voce adeſſe in dictis Domibus, Pater Generalis aſſigna-

ſignaret illum Domui,in qua pro tempore occurreret permanere,non nominando aliquam Domum particularem: Dubitari poſſet, ſi tertio anno, poſt quam Præpoſiti & Viſitatores refecti ſunt, occurreret dicto Vocali per diuerſas Domos diſcurrere: in qua Domo aſſignatus intelligeretur, ita vt in electione Vocalis pro Capitulo Generali poſſet eligere, & eligi? Reſpondetur,quod intelligeretur aſſignatus in illa Domo,in qua actu domicilium habet, quando facienda eſt electio Vocalis pro Capitulo Generali, dato quod in illa Ciuitate eſſent plures Domus.

Quartodecimo Dubitatur. Si P. Generalis,& omnibus,& ſingulis Conſultoribus in tertio anno,& poſt refectiones Præpoſitorum, & Viſitatorum, congruum videretur mittere aliquem Vocalem Prædicatorem, de Domo, in qua eſt aſſignatus,ad aliam,ad concionandum infra annum: Vtrum poſſent aſſignare illum Domui,in qua erit concionaturus,ſine conſenſu dicti Vocalis, & Vocalium Domus, in qua erit prædicaturus? Reſpondetur,vel Domus, ad quam ſunt miſſuri Concionatorem eſt in eadem Ciuitate, vel in alia: Si in eadem,præſtare id non poſſunt; vt exempli gratia, ſi N. eſſet aſſignatus in Domo S.Pauli Neapolis, & P.Generalis, vna cum Conſultoribus vellet illum mittere ad concionandum infra annum in Domo Sanctæ Mariæ Angelorum, non poſſent illum amouere ab aſſignatione ſuæ Domus Sancti Pauli. Si vero eſſet in alia Ciuitate: In hoc caſu, vel parum diſtaret vna Domus ab alia,ita vt Concionator, abſque ſuo magno incommodo poſſet ire ad Domum ex qua diſceſſit, & erat primo aſſignatus ad votandum in electione Vocalis pro Capitulo Generali, & poſtea redire ad exequendum ſuum officium concionandi, & in hoc caſu ſimiliter non poſſent illum remouere à ſua prima aſſignatione, quia talis remotio fieri non debet abſque vrgenti cauſa. Vel multum diſtaret,arbitrio prudentis viri, & poſſent hoc facere, ſi Capitulum Domus, in qua erit prædicaturus,

iudi-

iudicauerit cauſam eſſe neceſſariam, & imminentem, vt patet ex Dubitatione Vndecima.

Quintodecimo Dubitatur: Vtrum Pater Generalis vna cũ omnibus, & ſingulis Conſultoribus poſſit transferre N. Vocalem, & Confeſſarium ex Domo Sancti Nicolai Venetiarum, & illum aſſignare Domui Sancti Mauritij Mantuæ, in tertio anno, & poſt refectiones Præpoſitorum, & Viſitatorum, & ante electiones Vocalium pro Capitulo Generali, & abſque conſenſu dicti Vocalis, pro imminenti neceſſitate, quam habet Domus Mantuæ vnius optimi Confeſſarij propter mortem alterius qui diſceſſit in dicta Domo?

Reſpondetur, quod poteſt, quia iſte caſus eſt exceptus in præſenti Decreto. Requiritur tamen, vt cauſa imminentis neceſſitatis ſit cognita, & approbata à Capitulo Domus Mantuæ, & non Venetiarum: quia cum in Domo Mantuæ acquirat ius ingrediendi ad electionem Vocalis pro Capitulo Generali, & de eorum præiudicio, & beneficio tractetur, ad Vocales dictæ Domus Mantuæ pertinet hanc cauſam cognoſcere. Nec requiritur vt omnes, & ſinguli conſentiant (quia Decretum hoc non exprimit) ſed ſufficit, vt maior pars Capituli Domus iudicet, cauſam eſſe neceſſariam, & imminentem.

Sextodecimo Dubitatur. Vtrum in Capitulo Domus, in quo eſt agendum, an cauſa propter quam Vocalis non commoratur in Domo ſibi aſſignata, ſit neceſſaria, & imminens, debeat interuenire, & habere votum Præpoſitus Domus nec ne? Et ratio dubij eſt, quia cum tractetur de negotio pertinente ad electionem Vocalis pro Capitulo Generali, non poteſt, nec debet Præpoſitus ſe immiſcere, vt apparet ex Conſtitutione part. 3. cap. 1. num. 2. & in eius Commentario litter. F. Reſpondetur, quod poteſt, & debet interuenire, & habere votum. Et ratio eſt, primo, Quia Capitulum Generale vigore præſentis Decreti non remittit cognitionem dictæ cauſæ Vocalibus Domus tantummodo, ſed Capitulo Domus: ſed nomine

mine Capituli includitur Prælatus, in noſtra Religione, tamquam caput Capituli: Ergo debet interuenire, & habere votum.

Et confirmatur, quia tam in Conſtitutionibus par. 3. cap. 1. num. 3. quam in Decretis Capitularibus part. 3. cap. 1. num. 2. & 3. in quibus tractatur de Electione dicti Vocalis, numquam dicta congregatio Vocalium appellatur Capitulum.

Secundo. Hic non tractatur de electione Vocalis pro Capitulo Generali, ſed de alia re diuerſa.

Decimoſeptimo Dubitatur. Si N. Vocalis ſit aſſignatus in Domo Sancti Nicolai, & in tertio anno per menſem ſtet extra Domum, cum licentia Superioris, ſed ſine cauſa publica Religionis, ap probata à P. Generali, & Conſultoribus; nec priuata, approbata à Capitulo Domus: Vtrum in electione Vocalis pro Capitulo Generali facienda in illa Domo, poſſit intereſſe, dum à Patre Generali, & ſuis Conſultoribus non ſit declaratum non habere votum in dicta electione?

Reſpondetur, quod interuenire non debet, quia non fecit reſidentiam requiſitam in Domo ſuæ aſſignationis. Nec dicta declaratio eſt neceſſaria, quia non eſt pœna, ſed conditio requiſita à Capitulo Generali, ad hoc vt Vocalis habeat vocem in dicta electione: ſed quando adeſſet dicta declaratio, melior eſſet. Sed dato, & non conceſſo, quod eſſet pœna, & dicta declaratio eſſet neceſſaria, in hoc caſu, antequam eſſet facta declaratio, poſſet intereſſe, quia, antequam priuetur, poteſtas nō deuoluitur ad reliquos, ita Panorm. in cap. 2. de Poſtulat. Prælatorum, quem refert, & ſequitur Sylu. in verbo Electio 1. q. 2. in primo dicto. Sed ſi Electores nollent eum admittere ante diſcuſſionem inhabilitatis, & procederent ad electionem, electio eſſet valida ſine ipſo: nam ſatis eſt, quod poſtea conuinci poſſit, incurriſſe in pœnam. ita Panorm. in cap. 2. de Poſtulat. Prælatorum num. 15. & Innocent. ibidem num. 2. in fine verſ. De his priuatis ipſo iure, &c. quos refert, & ſequitur Sylu.

in verbo Electio 1. §.2. num. 3. in principio, verſ. Secus autem, &c. & num. 6. in fine verſ. Sextum ſi autem, &c. & Ludouicus Miranda in ſuo Manuali Prælatorum tomo 2. quæſt. 23. art. 5. concluſ. 3. fol. mihi 312. & ita fuit deciſum in caſu ſimili occurſo in Domo Sancti Ioſeph Baruli, hinc inde diſcuſſo, anno Domini 1633. à P. Generali D. Stephano Medices, & ſuis Conſultoribus. Sed ſi Electores eum admitterent ad electionem, in hoc caſu, vel eum admitterent cum proteſtatione, vel non: Si cum proteſtatione, vt eius vox valeat, ſi & in quantum appareat eum poſtmodum debuiſſe intereſſe, vt docet Panorm. in cap. Cumana, extra de electione, quem refert, & ſequitur Sylu. verbo Electio 1. quæſt. 15. num. 17. ſcrutatores debent aduertere, & notare, ſi ad electionem concurrat votum N. vel non: & ſi non concurrit, electio erit valida: ſi vero concurrat, electio erit valida vſque ad declarationem.

Facta vero declaratione, ſi declaratum fuerit à P. Generale & Conſultoribus, quibus competit ſimiles controuerſias definire, potuiſſe interuenire, electio erit valida: ſi vero non potuiſſe interuenire, electio erit inualida, & Electores poſſunt de nouo electionem facere, intra terminum duorum dierum, iuxta Decretum, quod eſt part. 3. cap. 1. num. 1. quia Electores nullam culpam commiſerunt. Si vero eum admitterent abſque proteſtatione, electio eſſet valida: quia qui loqui poteſt, & tacet, conſentire videtur, etiam in ſuum præiudicium, Panorm. in cap. Cæterum de Iudicijs, num. 10. & 11. & cap. Nonne de Præſumpt. num. 1. & ibi glo. verbo Tacendo. & alij. & ita fuit deciſum cum hic vltimus caſus contigit in electione Vocalis pro Capitulo Generali in Domo Sancti Pauli Neapoli an. 1632.

Decimo octauo Dubitatur. Si occurreret N. Vocali alicuius Domus abeſſe ob cauſam neceſſarium, & imminentem à Domo ſibi aſſignata, & Capitulum Domus per ſecreta ſuffragia declararet cauſam non eſſe talem: Vtrum N. poſſet appellare

lare ad P.Generalem, & Conſultores, & ipſi poſſent contrarium decidere? Reſpondetur affirmatiuè: Et ratio eſt,quia recurſus ad Superiorem numquam impeditur, Authentica, Qua ſupplicatio. C.ſi contra ius, vel vtilit.publicam. Menochius de Arbitrarijs Iudicum lib.1.quęſt.67.num.14. Verum tamen eſt, quod non debent contrarium decidere, niſi audito Capitulo, vel per communes litteras, vel per particulares litteras Vocalium.

Sed contra poſſet aliquis dicere, ſi hoc fieri poſſet, Pater Generalis licentiam pro ſuo arbitratu concederet, & Capitulo decernente, non adeſſe cauſam, illius Decretum reuocaret, & Conſtitutio ſine fine fruſtraretur, vndę hoc iudicium ſolum ad Capitulum ſpectat, priuatiuè quoad Patrem Generalem. Sed reſpondetur, quod iudicium non fit à ſolo P.Generali, ſed vna cum Conſultoribus, qui in hoc habent votum deciſiuum, & ideo ceſſat ſuſpicio.

Decimonono Dubitatur. Vocali, qui tempore, quo reficiuntur tertio anno Præpoſiti, & Viſitatores, pro aliqua certa Domo aſſignatur, quanta mora præfigatur, ad hoc vt ſe trãſferat ad dictam Domum aſſignationis, abſque preiudicio iuris, quod habet ad electionem Vocalis pro Capitulo Generali?

Reſpondeo, quod certa regula dari non poteſt, ſed ſtandum eſt arbitrio prudentum, qui ſunt Superiores, conſiderata diſtantia, & alijs circumſtantijs.

Vigeſimo Dubitatur. Si aliquis Vocalis Domus Sancti Siri Ianuæ, in tertio anno, & poſt refectiones Præpoſitorum, & Viſitatorum, per tres menſes permaneret in Domo Sancti Petri de Arena, ante electionem Vocalis pro Capitulo Generali, cũ licentia ſui Superioris, ſed abſque cauſa neceſſaria: Vtrum perdat ius interueniendi in dicta electione Vocalis? Et idem dubium fieri poſſet de Domo Vici Aequenſis, Tuſculanæ, & Sanctæ Mariæ de Ghiara Veronæ. Reſpondetur negatiuè: Et ratio eſt, quia Domus Sancti Petri de Arena, & Domus San-

cti Siri conſtituunt vnum Capitulum, & ideo cenſetur vna & eadem Domus formalis, licet ſint duæ materiales. Et ſimiliter Domus Tuſculana cum illa Sancti Siluestri, &c. quia eadem eſt ratio,& ideo eadem iuris diſpoſitio eſſe debet.

Vigeſimo primo Dubitatur. Si aliquis Vocalis Domus S. Andreæ in Valle Romæ, in tertio anno, & poſt refectiones Prępoſitorum,& Viſitatorum,& ante electionem Vocalis pro Capitulo Generali,& cum licentia P.Generalis, ſed nulla exiſtente cauſa neceſſaria, vel publica, per duos, aut tres menſes commoraretur in noſtra Domo Tuſculana: Vtrum amitteret ius intrandi in electionem Vocalis pro Capitulo Generali? Reſpondetur affirmatiuè,quia non dicitur commorari in Domo S. Andreæ,dum eſt in Domo Tuſculana, quia nullam connexionem habent inter ſe: Et in Decreto dicitur *iugiter inibi vſque ad electionis tempus commoretur*. & idem eſſet dicendum ſi Vocalis ſupradictus Sancti Andreæ commoraretur per duos menſes in Domo S. Siluestri Romæ,& è contra; quia eadem eſt ratio.

Vigeſimo ſecundo Dubitatur. Si in tertio anno, & poſt refectiones Præpoſitorum, & Viſitatorum, & ante electionem Vocalis pro Capitulo Generali, vacaret Officium Vicariatus Vici Aequenſis,vel Domus Tuſculanæ, &c. Vtrum P. Generalis ad quem ſolum pertinet eorum electio, vt patet ex Conſtit.part.3.cap.9.num 12.& conſuetudine, poſſet eligere in Vicarium aliquem Vocalem alterius Domus, quæ non ſit ex illis, ex quibus dependent, & ſunt coniunctæ: Et ipſe Vicarius habeat poſtea vocem in electione Vocalis pro Capitulo Generali in ea Domo, cui eſt coniuncta Domus Vicariatus?

Reſpondetur negatiuè. Et ratio eſt, quia Decretum loquitur generaliter,& ideo generaliter debet intelligi, cap.Solite.§.fin. extra de Maior. & obed.l.1.§.In infinitum. ff.de Legatis præſtandis. Nec obſtat dicere, quod ſi vacaret (exempli

pli gratia) Præpoſitura Sancti Pauli, poſſet eligere in Præpoſitum dictæ Domus Vocalem alterius Domus: quia differt vnus caſus ab alio: quia Præpoſitus Sancti Pauli non intrat, nec habet ius in electione Vocalis pro Capitulo Generali, ſicut Vicarius Vici, & Domus Tuſculanæ in Domo S. Silueſtri, & ex diuerſis non fit illatio. cap. Ad audientiam de Decimis. l.Papinianus exuli.ff.de Minoribus. Secus verò, ſi P.Generalis ſimul cum omnibus Conſultoribus iudicarent publicum Cōgregationis bonum eſſe, aliquem Vocalem alterius Domus ſumere, & eligere in Vicarium dictarum Domorum, vt probatum eſt in Dubitatione vndecima.

Vigeſimo tertio Dubitatur. Vtrum in tertio anno, & poſt refectiones Præpoſitorum, & Viſitatorum, & ante electionem Vocalis pro Capitulo Generalis, poſſit Pater Generalis ſolus Vocalem aſſignatum in noſtra Domo Vici Aequenſis, aſſignare Domui Sanctorum Apoſtolorum Neapoli, cui ſubeſt in præſenti anno.

In hac difficultate duæ poſſunt eſſe opiniones. Prima opinio poteſt eſſe, quod non ſolum ipſe ſolus non poſſit hoc facere, ſed quod etiam requiratur conſenſus omnium Conſultorum per ſecreta ſuffragia, vt patet ex præſenti Decreto, ibi, *Quod ſi eo tempore faciendum ſit* (loquitur de aſſignatione Vocalis à tempore quo tertio anno Præpoſiti, & Viſitatores reficiuntur) *à P. Generali, & Conſultoribus fiat per ſecreta ſuffragia, nemine diſcrepante*.

Secunda opinio (quæ eſt probabilior) poteſt eſſe, quod P. Generalis ſolus poſſit hoc facere. Quæ probatur ex Decreto Capituli Generalis, quod eſt par.3.cap.7.num.17. in fine, cuius verba ſunt hæc: *Qui in Sancta Maria Domo* (hæc eſt Domus Vici Aequenſis) *fuerit aſſignatus, ad aliam Domum ne transferatur abſque P.Generalis facultate*. Ergo Decretū non requirit conſenſum Conſultorum.

Nec obſtat Decretum allatum pro prima opinione, quia loqui-

loquitur de tranſlatione Vocalium de vna Domo formali ad aliam formalem, & non de materiali: quia illa prohibitio fuit facta Generali ratione vocis; ſed in caſu noſtro, licet Domus Sanctorum Apoſtolorum, & Sanctæ Mariæ Vici Aequenſis ſint duæ materiales, ſunt tamen vna formalis: quia tempore electionis Vocalis pro Capitulo Generali, Vocales Domus Vici Aequenſis ferunt ſuffragium cum Vocalibus Domus Sanctorum Apoſtolorum. Et in rebus Capitularibus, & grauibus illi Domui ſubiacet; vt patet ex Decreto, quod eſt part. 3.cap.7.num.17.& ſic eſt vna Domus formalis.

Vigeſimo quarto Dubitatur. Si alicui Vocali ex aſſignatis in Domo noſtra Vici Aequenſis, ex cauſa neceſſaria imminẽte occureret abeſſe à dicta Domo, in tertio anno, & poſt refectiones Præpoſitorum, & Viſitatorum, & ante electionem Vocalis pro Capitulo Generali, ad quod Capitulum ſpectaret cognitio neceſſitatis cauſæ, nempe ad Capitulum Domus Vici Aequenſis, vel Domus Sanctorum Apoſtolorum, ex qua dependet, vel ad vtrumque ſimul coniunctim?

Ratio dubitationis oritur ex Decreto Capituli Generalis, quod eſt par.3.cap.7.num.17.in illis verbis: *In rebus Capitularibus, & grauibus illi Domui ſubiaceat, à qua pro tempore dependet.* Et ex alijs verbis eiuſdem Decreti, quæ ſunt paulo inferius, *Tempore electionis Vocalis Capituli Generalis, ius habet vna cum alijs Vocalibus ſuæ Domus ferendi ſuffragium in ea Domo, cui eo anno ſubordinatur.*

Reſpondeo, quod cognitio dictæ cauſæ pertinet ad Capitulum Domus Vici Aequenſis tantum, dum in ea Domo ſunt ſaltem tres Vocales, iuxta Decretũ Capituli Generalis, quod eſt par.3.cap.7.num.20. Et ratio eſt, quia cognitio dictæ cauſæ non eſt electio Vocalis pro Capitulo Generali, pro qua debeant omnes ſimul conuenire. Nec res eſt ita grauis, quod Vocales Vici debeant ſubiacere Domui Sanctorum Apoſtolorum, à qua nunc dependent. Præterea ſi Vocales Domus

Vici

Vici Aequenſis tenerentur Neapolim ire, & conuenire cum Vocalibus Sanctorum Apoſtolorum in ſimilibus caſibus,eſſet impoſſibile,moraliter loquendo,hoc ſeruare, quia non niſi cũ magno incommodo vtriuſque Domus ſeruari poſſet: ſed leges, quibus tenentur ſubditi parere illis, moraliter poſſibiles eſſe debent, & ad hominum imbecillitatem accommodatæ. cap. Erit autem lex. diſt. 4. quod declarat S. Thomas in 2. 2. quæſt. 95. art. 3. & Nauarr. in expoſitione Bullæ Gregor. XIII. de datis,& promiſſis, num. 22. Ergo dicendum, cognitionem dictæ cauſæ pertinere ad Capitulum Domus Vici Aequenſis tantum,quia alias eſſet impoſſibilis,moraliter, obſeruantia dicti Decreti in hac parte.

Idem dicendum eſt de Vocalibus aſſignatis in Domo Sanctæ Mariæ Ghiaræ Veronæ,ſed alia ratione; quia illa Domus non dependet à Domo Sancti Nicolai, nec illi ſubiacet in rebus Capitularibus, ſed tantum ſimul conueniunt in electione Vocalis pro Capitulo Generali. Secus vero de Vocalibus,qui ſunt Ianuæ in Domo Sancti Petri de Arena, quia iſtæ Domus, licet ſint diuerſæ materialiter, tamen conſtituunt ſemper & in omnibus negocijs vnam Domum formalem cum Domo Sancti Siri,& vnum Capitulum.

Vigeſimo quinto Dubitatur. Vtrum diſpoſitio præſentis Decreti, habeat etiam locum in electione Conſultoris pro Capitulo Generali? Reſpondetur affirmatiuè; quia omnia, quæ ſtabilita ſunt de electione Vocalis pro Capitulo Generali,tam in Conſtitutionibus, quam in Decretis Capituli Generalis,procedunt etiam in electione Conſultoris pro Capitulo Generali. Et ita in praxi hucuſque ſeruatum eſt. Nam eadem eſt ratio,tam in vno, quam in alio caſu; & ideo idem ius eſſe debet. cap. dudum, il ſecondo, de Electione. cap. Cum dilecta de Confirmatione vtil. vel inutil. l. Illud. ff. Ad legem Aquiliã. Et ratio comprehendit omnes caſus,etiam non expreſſos in lege, l. His ſolis, C. de Reuocandis donationibus. Cardinalis

nalis Pariſius conſilio 83. num. 21. volum. 3. Decius conſil. 284. vol. 2.

Contra ſupradictam deciſionem duo videntur obſtare. Primo, quod in Conſultoribus ceſſat ratio Decreti, etiam quatenus Vocales ſunt, cum eorum aſſignatio mutari nõ poſſit à P. Generali. Secundo, cum Decretum hoc ſit exorbitãs à Iure communi, ſtrictè eſt interpretandum, & non extendendum ad Conſultores. Sed Reſpondetur, &

Ad primum dico, quod quamuis in Conſultoribus ceſſet ratio Decreti quoad vnam partem, quia eorum aſſignatio mutari non poteſt à P. Generali; nihilominus militat ratio Decreti quoad aliam partem de iugi manſione in domo aſſignata, & conſequenter locum habet in illis diſpoſitio Decreti, quoad eamdem pœnam.

Ad ſecundum dico, præſens Decretum non eſſe exorbitans à Iure communi, præcipuè quo ad iugiter. Præterea paritas rationis, & praxis noſtræ Religionis cogit, vt comprehendantur.

Vigeſimo ſexto Dubitatur. Si occurreret aliqua imminens neceſſitas, vel publicum bonum Congregationis, quo cogeretur aliquis Conſultor abeſſe è Domo Sancti Silueſtri Romæ, in tertio anno, & poſt tempus, in quo Præpoſiti, & Viſitatores reficiuntur, & ante electionem Vocalis pro Capitulo Generali. Quis debet cognoſcere de Iuſtitia cauſæ, Capitulum Domus Sancti Silueſtri, vel Tribunal Conſultationis? Reſpondetur, quod ſi cauſa pertinet ad publicum bonum Congregationis, ſpectat eius cognitio ad Tribunal Conſultationis, vt dictum eſt ſupra Dubio Decimo tertio in fine. Si vero tractatur de imminente neceſſitate, pertinet eius cognitio ad Capitulum Domus Sancti Silueſtri, ad quod ingrediuntur Conſultores, & Pater Generalis, vltra Vocales Domus. Et ratio eſt, quia in electione Vocalis Domus Sancti Silueſtri pro Capitulo Generali, ipſi Conſultores habent votum, ſicut

&

& cæteri Vocales, vt patet ex Conſtitution. parte 3. cap. 1. num. 4.

Vigeſimoſeptimo Dubitatur. Ponamus, quod Pater Generalis vna cum Conſultoribus, in tertio anno, & poſt electionẽ Vocalis pro Capitulo Generali transferat N. Vocalem, qui erat aſſignatus in Domo Sanctorum Apoſtolorum, in Domum Sancti Pauli Neapoli, & ibi eum aſſignet, non pro aliqua imminente neceſſitate, neque ob publicum Congregationis bonum, & facta aſſignatione, N. Vocalis electus pro Domo Sancti Pauli ad Capitulum Generale, moriatur: cum de nouo in Domo Sancti Pauli ſit congregandum Capitulum pro noua electione Vocalis in locum mortui: Vtrum N. Vocalis aſſignatus de recenti in dicta Domo Sancti Pauli, poſt primam electionem Vocalis, poſſit interuenire in dicto Capitulo pro noua electione facienda, & poſſit eligere, & eligi, ſicut alij Vocales, ſtante præſenti Decreto?

Duæ poſſunt eſſe opiniones; vna negatiua, altera affirmatiua. Pro opinione negatiua faciunt primo duæ dictiones *nemo*, & *non*, poſitæ in præſenti Decreto, quæ ſunt vniuerſales negatiuæ, excludentes omnem aliam perſonam, non aſſignatam, ſaltem à tempore, quo reficiuntur Præpoſiti, & Viſitatores, vt probatum eſt ſupra in Secundo Dubio, verſ. Secundo probatur, &c. Ergo cum N. non ſit aſſignatus in Domo Sancti Pauli à dicto tempore, neque ex aliqua cauſa poſita in dicto Decreto, non poteſt habere neque actiuum, neque paſſiuum ius in dicta electione.

Secundo. Tempus aſſignatum in præſenti Decreto, Vocali qui debet habere ius in electione Vocalis pro Capitulo Generali, requiritur pro forma, vt probatum eſt ſupra in Secũda Dubitat. in fin. verſ. Quod tempus, &c. Ergo non ſeruata forma Decreti, non poteſt vllo pacto habere ius in dicta electione.

Tertio. Intentio Capituli Generalis in præſenti Decreto

D fuit,

fuit, vt ſicut Pater Generalis ſolus, anno ante Capitulum Generale proximo, ex vi noſtrarum Conſtitutionum, Vocales de vna Domo ad aliam transferre non poteſt, niſi Conſultores conſentiant, vt patet ex part. 3. cap. 7. num. 5. in fine: ſic nec etiam cum conſenſu Conſultorum transferat aſſignando de vna domo ad aliam, abſque cauſa neceſſaria, vel publica ob bonum Congregationis. Sed Conſtitutio prædicta vim habet toto anno tertio, vt ex ſe patet. Ergo & præſens Decretum, quod factum eſt ad corroborandam dictam Conſtitutionem, debet interpretari ſecundum eam, vt vim habeat toto tertio anno, vt ſentit gloſ. quam putat ſingularem Cardin. in Clem. Statutum, in verb. Conſuetudo, de Electione, ibi, Oppoſitionem; & eam ſequitur Nauarrus in Miſcellanea 70. num. 4. in Tractatu de Oratione, & Horis Canonicis num. 22.

Pro opinione affirmatiua facit primo: Quod lex aptari debet potius ad ea, quæ frequenter accidunt, quam ad ea quæ perrarò eueniunt, l. Nam ad ea, ff. de Legibus. Sed frequenter accidit, quod electio Vocalis pro Capitulo Generali fiat die ſecunda, & tertia Nouembris, tertij anni, vt patet ex Conſtitution. part. 3. cap. 1. num. 3. & ex Decretis part. 3. cap. 1. nu. 1. Ergo præſens Decretum aptari debet ad electiones faciendas in dicto tempore aſſignato diei ſecundę, & tertiæ Nouembris, & non in alijs electionibus, quæ de raro euenire ſolent, vt eſt iſta, de qua tractatur in caſu noſtro.

Secundo. Argumentum ab abſurdo vitando validum eſt in iure. cap. In geneſi, de Electione, cap. Ex ore, de Priuilegijs, & ibi Panormitan. cap. Solite. de Maior. & obed. Sed multa incõmoda ſequerentur in tota Religione, ſi per totum annum non poſſet P. Generalis cum Conſultoribus amouere Vocales ab vna Domo & alteri aſſignare, niſi ob publicum Congregationis bonum, vel ob imminentem neceſſitatem, & cum approbatione Capituli Domus, cum multi caſus particulares accidere poſſint, & ſoleant ob bonum particulare alicuius benefactoris,

con-

conſanguinei noſtrorum,magnæ perſonæ: qui caſus, licet nõ ſint neceſſarij, & imminentes,ſunt tamen valde conuenientes: vnde abſurdum eſſet,non poſſe caput Congregationis prouidere in iſtis caſibus per totum annum: Ergo ad euitandum hoc abſurdum, dicendum eſt præſens Decretum non habere locum niſi in electionibus quæ fieri ſolent in tertio anno die 2. & 3.Nouembris,& non in alijs, tranſacto dicto tempore, quæ per accidens occurrere ſolent.

Tertio.Cauſa,quæ mouit Capitulum Generale ad ſtatuendum hoc Decretum fuit, ad tollendas malas ſuſpiciones, quæ oriri ſolebant ex dictis tranſlationibus, & aſſignationibus Vocalium in dicto tempore factis.Sed iſtæ ſuſpiciones in totum ceſſant in tranſlationibus, & aſſignationibus Vocalium, quæ fiunt poſt diem tertiam Nouembris tertij anni. Ergo ceſſante cauſa legis in dicto tempore,ceſſet etiam & lex,cap. Cum ceſſante,de Appell.cap.Magna,in princ.extra de Voto.l.Generaliter, c.de Epiſc.& Clericis.

Quarto. Pro hac opinione faciunt etiam ea, quæ dixi in Commentarijs Conſtitutionum, part. 3. cap. 7. litter.G. §.2. fol. 333.

Supradictæ opiniones licet ambæ videantur probabiles, ex rationibus allatis, tamen opinio negatiua probabilior videtur; Et ad ad argumenta adducta pro opinione affirmatiua reſponderi poteſt; &

Ad primum reſpondetur,quod licet lex, vt plurimum adaptetur ad ea,quæ frequenter accidunt,tamen quando eſt ita vniuerſalis, vt amplectatur omnes caſus, non ſolum qui frequenter, ſed etiam qui de raro accidere ſolent, vt eſt præſens Decretum,& probatum eſt in prima ratione pro opinione negatiua,extenditur ad omnes caſus.

Ad ſecundum. Negantur incommoda,& abſurda: Et ſicut ſeruari poteſt præſens Decretum ante electionem Vocalis, quæ fieri ſolet menſe Nouembris, ſic etiam ſeruari poterit

poſt dictum menſem vſque ad Capitulum Generale, quemadmodum ſeruatur etiam Conſtitutio per totum tertium annum.

Præterea exceptio firmat regulam in caſibus non exceptis c.Dominus 32.q.7.l.Nam quod liquidæ.ff.de Pęn.leg.Decius & gloſ.in l.1.ff.de Reg.iur. Ergo cum duo caſus ſint tantum excepti,ſignum eſt Capitulum Generale voluiſſe præſens Decretum habere locum in alijs caſibus non exceptis. Quia cum dictis exceptionibus remedium præbuit incommodis, & abſurdis,quæ accidere poſſent.

Ad tertium. Negatur minor, quia dictæ ſuſpiciones malæ poſſent accidere etiam in electionibus, quæ fiunt poſt diem 3. Nouembris,vt dixi in Commentarijs noſtrarum Conſtitutionum,par.3.cap.7.lit.G. §.3.fol.334.

Ad quartum. Reſpondetur, quod illæ rationes procedunt ſublato præſenti Decreto: ſed ſtante hoc,non habent locum, vt ibidem dixi,par.3.cap.7.lit.G.§.3.in fine, verſ. Nunc vero, &c. fol.335.in fine.

Stante ſupradicta opinione negatiua, quæ non ſolum probabilior,ſed vera videtur: Sequitur Patrem Generalem,etiam cum conſenſu omnium Conſultorum, non poſſe transferre Vocalem aſſignatum in vna Domo ad aliam Domum,& ibi eũ aſſignare, (abſque cauſa neceſſaria, vel publica à Decreto requiſita)abſque conſenſu dicti Vocalis,non ſolum ante electionem Vocalis pro Capitulo Generali, vt probatum eſt ſupra Dubio quarto,ſed etiam poſt electionem factam.Quia occurrente aliquo caſu in prima Domo, in qua erat aſſignatus, priuaretur voce in electione Vocalis pro Capitulo Generali.Pręterea præſens Decretum habet vim non ſolum ante electionẽ Vocalis pro Capitulo Generali,ſed etiam poſt, & per totum tertium annum,vt probat tertia ratio ſupradicta pro opinione negatiua.

Vigeſimo octauo Dubitatur.Vtrum cognitio cauſę propter quam.

quam aliquis Vocalis eſt abſens à propria Domo aſſignationis in tertio anno, an ſit ob publicum Congregationis bonum, necne, ſpectet ad Capitulum Domus, vel ad Patrem Generalem vna cum Conſultoribus? Reſpondeo ſpectare ad Patrem Generalem vna cum Conſultoribus, non autem ad Capitulum Domus, vbi eſt aſſignatus.

Et ratio eſt, quia cum gubernatio totius Religionis ſit illis commiſſa, conſequens eſt ad illos ſpectare hoc iudicium; cum cauſa non ſit particularis illius Domus, ſed vniuerſalis Religionis.

Præterea in præſenti Decreto iudicium cauſæ an ſit neceſſaria, & imminens, necne, remittitur Capitulo Domus. Iudiciũ vero cauſæ ob publicum Congregationis bonum, non remittitur Capitulo Domus.

Et ita fuit declaratum præſens Decretum ab Adm.R.Patre Generali D.Philippo Maria Guadagno, & ſuis Conſultoribus, non requiri conſenſum, vel declarationem Capituli Domus, vt patet ex lib.Conſultationum fol. 39. die 6. Sept. 1629.

Vigeſimonono Dubitatur. Quando N. Vocalis ob bonum commune Religionis cogitur abeſſe à Domo ſuæ aſſignationis per menſem, vel duos menſes, (exempli gratia) vtrum ad iſtam declarationem faciendam, quod ſit ob bonum commune Religionis, requiratur, vt omnes & ſinguli Conſultores concurrant, vel ſufficiat maior pars?

Et ſimiliter ad dandam licentiam commorandi extra Domum pro cauſa prædicta: Vtrum requiratur, vt vna cum voto P.Generalis concurrant etiam omnes, & ſinguli Conſultores, vel maior pars, vel ſufficiat ſola licentia P.Generalis?

Reſpondeo ad primam partem dubitationis, quod ſufficit vt maior pars concurrat. Et ratio eſt, quia quando ad Capitulũ Domus ſpectat cognoſcere, & per ſecreta ſuffragia probare, vtrum cauſa abſentiæ alicuius Vocalis à ſua Domo ſit ob imminentem neceſſitatem, necne, non requiritur, vt omnes, &

ſin-

ſinguli conſentiant, (quia hoc non petit Decretum) ſed ſufficit maior pars,vt patet ex Conſtitution.part.3.cap.9.num.20. Cum Vocalis,&c. Ergo & quando cauſa abſentiæ eſt iudicanda à Conſultoribus (ad quos ſpectat, vt patet ex Dubitatione decimatertia ſupra poſita) an ſit ob publicum bonum, non requiritur, vt omnes, & ſinguli concurrant, ſed ſufficit maior pars. Nam quando Conſtitutio,vel Decretum requirit,vt omnes, & ſinguli conſentiant,exprimit; vt patet ex Conſtitutione parte 3. cap.9.num 8. in fine, & ex præſenti Decreto (ibi, *Quod ſi eo tempore,&c.*) cum tractatur de aſſignatione Vocalis in alia Domo.

Ad ſecundam vero partem dico, quod ſufficit ſola licentia Patris Generalis,ſicut in primo,& ſecundo anno, poteſt ipſe ſolus illam concedere. Nam in præſenti Decreto, conſenſus Conſultorum requiritur,quando tractatur de aſſignatione Vocalis de vna Domo ad aliam, & non quando tractatur de abſentia per aliquod tempus.Et ſimiliter quando cauſa abſentiæ eſt approbata à Capitulo Domus, ad P. Generalem tantummodo ſpectat licentiam concedere.

Trigeſimo Dubitatur. Si aliquis Vocalis abeſſet à Domo propter bonum commune Ciuitatis.Vtrum amitteret ius in electione Vocalis pro Capitulo Generali? Reſpondetur affirmatiuè,quia abſentia debet eſſe ob bonum publicum Religionis, non autem Ciuitatis,vel alterius Communitatis, vel perſonæ publicæ, vt patet ex finalibus verbis præſentis Decreti. Secus verò ſi abeſſet ob bonum commune Eccleſiæ Vniuerſalis, quia eſſet etiam bonum publicum Religionis, quæ eſt membrum vniuerſalis Eccleſiæ. Et licet noſtri participent de bono communi Ciuitatis, vbi ſunt: non tamen bonum commune Ciuitatis eſt bonum commune Religionis.

Trigeſimo primo Dubitatur.Vtrum cognitio cauſæ abſenſentiæ alicuius Vocalis à propria Domo aſſignationis ſit, nec ne ex cauſa neceſſaria imminente, vel ob bonum publicum

Con-

Congregationis, debeat præcedere abſentiam, vel ſufficiat ſi poſt abſentiam fiat?

Reſpondeo, quod regulariter debet præcedere, quia requiritur tamquam conditio, vt quis poſſit abeſſe, & vt Pater Generalis poſſit licentiam concedere. Sed dato quod non præcedat, ex aliqua cauſa iuſta, ſufficeret, ſi poſtea fieret, quia non eſt de eſſentia, vt præcedat cognitio, ſed ſufficit, vt ſit cognita, & per ſecreta ſuffragia probata.

Trigeſimoſecundo Dubitatur. N. Vocalis, in tertio anno, à ſuo Præpoſito fuit aſſignatus comes alicuius fratris, vel Vocalis, qui ob aliquam cauſam iuit extra Ciuitatem cum licentia Patris Generalis, ſed per longum tempus fuit abſens à propria Domo. Quæritur nunc, an amiſerit ius ingrediendi ad electionem Vocalis pro Capitulo Generali?

Et videtur dicendum, quod non, quia Præpoſito Domus competebat aſſignare ſocium, dum à P. Generali non erat nominatus, vt patet ex Commentarijs noſtrarum Conſtitutionum part. 1. cap. 7. lit. D. Et non dicitur abeſſe, qui ex licentia, & obedientia Superioris eſt abſens: Ergo non debet repelli ab electione Vocalis pro Capitulo Generali.

Sed contraria opinio verior videtur. Primo, Quia ad hoc vt Vocalis habeat vocem in electione Vocalis pro Capitulo Generali requiritur de eſſentia, vt iugiter commoretur in tertio anno in Domo ſibi aſſignata, vt patet ex præſenti Decreto in principio. Ergo cum N. non ſit iugiter commoratus, ſequitur amiſiſſe ius ingrediendi ad electionem Vocalis pro Capitulo Generali.

Secundo. Cum duæ tantum cauſæ aſſignentur, in quibus poſſit Superior concedere hanc licentiam, ſequitur quod aliæ non ſunt ſufficientes: ſed cauſa aſſociationis, non eſt ex illis duabus. Ergo non eſt ſufficiens ad excuſandum N. vt non amittat ius ingrediendi ad electionem Capituli Generalis.

Ter-

Tertio Prępoſitus poterat mittere alium ſocium.Ergo non debebat mittere Vocalem,contra voluntatem Capituli Generalis, cuius intentio eſt, vt Vocales in tertio anno iugiter permaneant in Domo eis aſſignata.

Quarto N. vel fuit abſens ex ſua voluntate,licet cum licentia Superioris: vel ex mera obedientia Superioris.Si primum, clarum eſt amiſiſſe ius ingrediendi ad electionem Vocalis pro Capitulo Generali. Si ſecundum, debebat proteſtari cum ſuo Superiore, ſe nolle amittere ius ingrediendi ad Capitulum pro electione Vocalis pro Capitulo Generali.

Nec ratio pro opinione negatiua adducta aliquid probat, quia licet ad Præpoſitum Domus ſpectet aſſignare ſocium regulariter, tamen non ſolum ei, ſed etiam Patri Generali eſt prohibitum in tertio anno amouere Vocales, vt non iugiter permaneant in propria Domo eis aſſignata. Et licet abſens cum licentia Superioris non dicatur abeſſe, tamen regula habet locum in caſibus licitis,& à iure permiſſis: non autem in caſibus prohibitis, vt in caſu noſtro.

Trigeſimotertio Dubitatur. N. Præpoſitus, in tertio anno in quo Præpoſiti, & Viſitatores reficiuntur, non eſt confirmatus,ſed remanet abſque alio officio: Nec in ipſa die in qua refecti ſunt Præpoſiti, & Viſitatores eſt à Patre Generali, & Patribus Conſultoribus aſſignatus in aliqua Domo. Quæritur cuius Domus cenſendus, vt habeat vocem actiuam, & paſſiuam in electione Vocalis pro Capitulo Generali?

Dico, quod duæ poſſunt eſſe opiniones, vna, vt cenſeatur illius Domus,in qua reperitur,finita Præpoſitura.

Probatur primo. Quia dum non eſt aſſignatus in alio loco, tacitè videtur aſſignatus in eadem Domo,in qua fuit Prępoſitus,& habebat vocem in Capitulo.

Secundo,Quia dum quis vnius Domus fit caput, deſinit eſſe alterius membrum.Ergo incorporatur in Domo, in qua factus eſt Præpoſitus.

Ter-

Tertio. Si non cenſeretur aſſignatus in eadem Domo, in qua fuit Præpoſitus, ſequeretur, quod ſine culpa ſua eſſet priuatus iure ferendi ſuffragium, quod eſſet inconueniens.

Altera opinio poteſt eſſe, cenſendum eſſe aſſignatum, & habere vocem in illa Domo, ex qua diſceſſit, & erat aſſignatus, tempore quo fuit electus Præpoſitus. Probatur quia neceſſe eſt, vt in vna ex tribus Domibus cenſeatur eſſe aſſignatus, vel in Domo, in qua fuit Præpoſitus, vel in Domo ſuæ Profeſſionis, vel in Domo, in qua erat aſsignatus, quando fuit electus Præpoſitus: Non in prima, quia ibi fuit aſsignatus vt Præpoſitus, & tamquam Præpoſitus habebat ibi vocem: Ergo finita Præpoſitura, non habet amplius ibi vocem. Non ſecundam, quia tempore, quo fuit electus Præpoſitus non habebat vocē in dicta Domo: Ergo nec nunc, cum non ſit ibi aſsignatus. Ergo à ſufficienti partium enumeratione, dici debet eſſe aſsignatum in tertia, nempe in illa, in qua erat aſsignatus antequam eſſet electus in Præpoſitum.

In contrarium vero adducta pro prima opinione non videtur obſtare; & ad primum negatur conſequentia. Ad ſecundū negatur antecedens, quia non deſinit omnino eſſe membrum Domus ex qua diſceſsit, ſed ad tempus; nec prior aſsignatio reuocatur, ſed ſuſpenditur, durante officio Præpoſituræ. Ad tertium dico non eſſe inconueniens, ſine culpa carere breui tempore iure ferendi ſuffragium, cum ſit per accidens, dum expectat licentiam P. Generalis. Illa enim carentia ſuffragij non habet rationem pœnæ, ſed ſimplicis negationis, vt in hoſpitibus, & iter agentibus ſolet accidere.

PARS SECVNDA.

Exponitur ſecundum Decretum circa electionem Vocalis pro Capitulo Generali.

Quod incipit, Vt certa ſit, &c. Habetur par. 3. cap. 1. num. 9.

Verba Decreti ſunt hæc.

Vt certa ſit Vocalis ad Capitulum Generale interfuturi electio: ſi per tres vices, ſecretis datis ſchedulis nemo fuerit electus: in quarto ſchedularum ſcrutinio, niſi in eo contingat electio, duo ex ſcrutatoribus declarentur, quibus plures numero Vocales fuerint ſuffragati, quod ſi in quarto ſcrutinio tres, aut quatuor paria ſuffragia habuiſſe comperiantur: duos profeſſione ex eis ſeniores, palam denuncient ſcrutatores: & horum alter per ſecreta poſtea eligatur ſuffragia, quæ ſi forte paria fuerint, antiquior profeſſione electus cenſeatur.

In qua Domo tres tantum, aut quatuor erunt Vocales, cum in quinto ſcrutinio nemo fuerit electus, Vocalis profeſſione antiquior, cui tamen aliquis ſuffragatus fuerit, electus habeatur.

Su-

Supradictum Decretum diuiditur in duas partes, ſecunda eſt ibi, In qua Domo tres tantum, aut quatuor, &c.

Pro explicatione ſupradicti Decreti infraſcripta Dubia ſunt examinanda.

PRIMVM Dubium eſt. Facta intimatione à Præpoſito Domus pro electione Vocalis: Quæritur quando fieri debeant ſchedularum ſcrutinia? Reſpondeo, quod pendet ex voluntate maioris partis Vocalium, cognita per ſecreta ſuffragia. Et ſi vota eſſent paria, tunc penderet ex arbitrio Capitis Capituli. Sed in vtroqȝ caſu non debent fieri ſtatim, (niſi omnes, & ſinguli conſentiant) ſed concedi debet aliquod ſpatium temporis ad cogitandum, vel ſcrutinandum, ad arbitrium boni viri. Nam dum ſpatium duorum dierum à Capitulo Generali conceditur ad id agendum, vt patet part. 1. cap. 1. num. 1. non poteſt in totum tolli à Capitulo Domus.

Secundum Dubium eſt. Vtrum Electores Vocalis pro Capitulo Generali debeant iurare ante electionem, ſe electuros probiores, ac magis idoneos, ſecundum veritatem cuiuſque conſcientiæ, iuxta Decretum Reformationis Regularium, nu. 36. æditum à Clemente Octauo?

Reſpondeo, quod duæ poſſunt eſſe opiniones, vna negatiua, & altera affirmatiua. Pro opinione negatiua facit primo, Quod in noſtra Religione tria ſunt genera Officiorum, nempe Præpoſitorum, Viſitatorum, & Conſultorum, vt patet ex Decreto par. 3. cap. 7. num. 3. & ex Conſtit. part. 3. cap. 4. num. 2. & 3. Sed hæc electio non eſt ad dicta Officia. Ergo iurare non

tenentur hoc modo, quia Decretum adſtringit ad hoc iuramentum in electionibus Superiorum,& Officialium.

Secundo. Ad Officia, Gradus,& Prælaturas Religionis, illi eligi debent, qui poſſint, & conſueuerint Regulas, Ordinationes,& Conſtitutiones obſeruare,& præcipue ſuſtinere onera, quæ pertinent ad ſeruitium Chori, ac veſtium,& victum commune, vt patet ex dicto Decreto Reformationis 36. ibi, Ad officia,&c. & ex noſtris Conſtitutionibus par. 3. cap. 4. num. 6. Sed hæc non obſtant Vocali eligendo, vel electo pro Capitulo Generali, quin poſſit eligi, & electo, quin adire Capitulũ Generale, vt patet ex conſuetudine noſtræ Religionis. Ergo non eſt Officium, Gradus, vel Prælatura, & per conſequens Electores non tenentur præſtare tale iuramentum ante dictam electionem.

Tertio. Nos habemus formam iuramenti, quod præſtare debent Electores Vocalis pro Capitulo Generali, in Decretis part. 3. cap. 1. num. 14. quæ eſt diuerſa à forma notata in Decreto Reformationis 36. Ergo ſi eſſet neceſſaria hæc forma Clem. VIII. Patres Capituli Generalis impoſuiſſent illam in dicto Decreto, quod fuit factum multos poſt annos Decreti Clementis, ſed non impoſuerunt: ergo ſignum eſt, quod non erant obligati ad id præſtandum.

Pro opinione affirmatiua, quæ vera mihi videtur, facit primo, Quod Vocalis electus pro Capitulo Generali, eſt verè Officialis, & Superior totius Religionis, pro tempore Capituli Generalis; nam eligitur ad eligendum Præſidem Capituli Generalis; ad eligendum Præpoſitum Generalem,& Diffinitores; ad creandum Vocales; ad condendas Conſtitutiones; & ad reliqua omnia in Generali Capitulo pertractanda. Et habet iuriſdictionem vna cum alijs Patribus Capituli Generalis, tam in temporalibus, quam in ſpiritualibus. Et ſunt, veluti erant Senatores in Republica Romana, & ad præſens ſunt in alijs Rebuſpublicis: nam repreſentant perſonam Principis: Ergo ex vi

dicti

dicti Decreti Reformationis 36. tenentur Electores ante electionem iurare, non ſolum iuxta formam Decreti Capituli Generalis par. 3. cap. 1. num. 14. ſed etiam iuxta formam Decreti Reformationis 36. Clemen. VIII. Nam vna non excludit aliam.

Secundo. Clarum eſt, quod Conſultores in noſtra Congregatione ſunt ſuperiores, & Officiales, quia vna cum Patre Generali regunt, & gubernant totam Congregationem, tam in temporalibus, quam in ſpiritualibus, Præpoſitos, & Viſitatores creant, &c. Sed maiorem iuriſdictionem, & auctoritatem habent Patres Vocales Capituli Generalis, durante Capitulo Generali: Ergo ſunt Officiales, & Superiores, & per conſequens eorum electores ante electionem tenentur iurare iuxta formam Decreti Clementis Octaui 36. de Reformatione, & Decreti noſtræ Congregationis, quod eſt part. 3. cap. 1. num. 14.

Tertio. Per Decreta, tam noſtræ Congregationis part. 3. cap. 1. num. 11. quam Reformationis num. 36. præcipi, vt Decretum Reformationis 36. legatur, antequam deueniatur ad electionem. Hoc autem præceptum non poteſt alium finem habere, quam dicti Decreti obſeruantiam, alias talis lectio eſſet fruſtratoria: Ergo Electores ante electionem debent iurare ſe electuros probiores, ac magis idoneos, iuxta Decretum Reformationis 36. Sed reſpondendo contrarijs, veritas clarior apparebit.

Ad primum reſpondeo, quod Capitulum Generale in dicto Decreto non determinat, vt Præpoſiti, Viſitatores, & Conſultores tantum, ſint Officiales, & Superiores in Religione, (nã Vicepræpoſitus Sancti Silueſtri, Vicarij Domorum, & Præſes Capituli Generalis, ſunt etiam Officiales, & Superiores, & tamen de illis nulla fit mentio in dicto Decreto) ſed vt dicta Munera, vltra ſexennium ab eadem perſona exerceri non poſſint, ſed per triennium vacet.

Nec

Nec noſtra Conſtitutio part.3. cap.4.num.2. & 3. hoc determinat, ſed tantum dicit, vt eligantur Præpoſiti, & Viſitatores.

Ad ſecundum reſpondeo, quod licet ex conſuetudine noſtræ Congregationis, Vocali electo, vel eligendo pro Capitulo Generali non obſtet, quin eligi poſſit, ex eo quod ſuſtinere non valet onera obſeruantiæ Religionis, ſicut obſtat in alijs Officijs, & Prælaturis; tamen non per hoc ſequitur, quod non ſit officium, & ſuperioritas, vel quod ex hac cauſa non poſſit eligi ad dictum officium. Et ratio dictæ conſuetudinis eſt rationabilis, nam ad negocia, quæ tractanda ſunt in Capitulo Generali, requiritur potius rectum, & perfectum iudicium, & bonitas vitæ, quam habilitas ad onera obſeruantiæ Religionis. Præterea in Decreto Reformationis 36. non dicitur, vt prædicti, qui non valent ſuſtinere onera Chori, &c. nullo pacto eligantur, ſed vt præcipuè illi eligantur, qui ſuſtinent dicta onera.

Ad tertium reſpondeo, negando primam, & ſecundam conſequentiam. Obligatio enim Decreti Clementis Octaui, non dependet à Decreto noſtræ Congregationis.

Vnde reiectis contrarijs remanet firma noſtra concluſio, quã tenet etiam Caſtellinus de Electione cap 3.num, 21.& 22.fol. mihi 65.

Sed contra poſſet aliquis opponere, ſi eſſet vera dicta concluſio, ex ea ſequeretur idem iuramentum præſtandum eſſe ante electionem Vicepræpoſiti, & Vicariorum, quod in praxi non obſeruatur.

Reſpondeo eſſe præſtandum, nam ſunt Superiores, & habent locum particulare in Choro, & in Capitulis, &c. licet ſint ſubordinati. Et quia ad ſolum Patrem Generalem ſpectat illos eligere, quando in Diffinitorio, vel in Conſultatione fiunt electiones, omnes iurant obſeruantiam dictorum Decretorum; Et iuramentum extenditur, non ſolum ad electiones, quæ tunc

tunc fiunt,ſed ad omnes alias illis ſubordinatas,quæ ſeparatim fieri ſolent.

Et talis debet eſſe intentio Patris Generalis,alias teneretur in vnaquaque electione Vicarij, de nouo præſtare tale iuramentum.

Tertium Dubium eſt. Poſito, quod Electores Vocalis pro Capitulo Generali,teneantur ante electionem iurare, non ſolum iuxta formam Decreti noſtri Capituli Generalis,quod eſt part.3. cap.1. num. 14.ſed etiam iuxta formam Decreti Clementis VIII. 36. de Reformat. Regularium,Quæritur, Vtrum ſi non præſtentur dicta iuramenta, vel aliquod illorum, electio ſit nulla?

Reſpondeo,quod duæ poſſunt eſſe opiniones; vna quod ſit nulla,etiam vno iuramento deficiente. Altera,quod ſit valida, ſed annullari poſſit,& puniri poſſint Electores.

Pro prima opinione facit primo, quod forma data ad aliquem actum,debet tenaciter ſeruari, ita Innocen. in cap.2. in glo.2. de Conſuetudine,Decius in cap.Prudentiam.num.4.de officio Delegati,quos refert, & ſequitur Tuſcus lit.F. concluſ. 416. num.1. Et vbi certa forma traditur à ſtatuto, ſi non ſeruatur forma,actus eſt nullus. l.cum ij.§. ſi Prætor. ff.de Tranſ. cap.cum dilecta,de Reſcriptis.Bald.conſil.146.Præmiſſis verbis,num.5.verſ.Et circa omnium.lib.2. quem refert, & ſequitur Card.Tuſcus lit.F.concluſ.418. num.2. Sed in caſu noſtro in Decreto Capituli Generalis datur forma iuramenti præſtandi ab Electoribus ante electionem Vocalis pro Capitulo Generali: Ergo illa non ſeruata actus eſt nullus. Et in Decreto Reformationis 36. ordinat Clemens Octauus, vt ante electionem præmittatur iuramentum ab Electoribus, ſub forma ibi præſcripta: Ergo illa non ſeruata, actus eſt nullus.

Secundo habemus regulam,quod ea,quæ contra ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi,cap.Quæ contra, de Regul.

iur.

iur. in 6. l.Non dubium.C.de legibus. Sed electio ſupradicta facta iuramento non præſtito,eſt contra iura prædicta: Ergo pro non facta haberi debet.

Pro altera opinione facit noſtra Conſtitutio, quæ eſt par.3. cap.1.num.3.ibi, Vocalis electio hoc tempore, & modo fiat, &c. in qua traditur forma electionis Vocalis pro Capitulo Generali,& nulla mentio fit de iuramento aliquo: ſed qui facit electionem iuxta formam à lege traditam,facit actum validum:Ergo electio ſupradicta facta,omiſſis iuramentis ſupradictis,vel aliquo ipſorum, eſt valida, cum ſit facta iuxta formam Conſtitutionum.

Sed reſpondendo contrarijs,clarior apparebit veritas ſecũdæ opinionis. Et ad primum reſpondeo,negando minorem, & conſequentiam: & ratio negationis eſt, quia licet in dictis Decretis detur forma iuramenti, præſtanda ab Electoribus, ante electionem Vocalis, &c. Non tamen determinatur,quod dictum iuramentum ſit de forma dictæ electionis: Diuerſum eſt enim vnum ab altero, & ex diuerſis non fit illatio. l. Papinianus exuli.ff.de Minoribus.l.Nauraliter.§. Nihil commune. ff.de Acquir.poſſeſſ. Card.Mantica de Coniect.vltim.volunt. lib.4.tit.5.num.7.

Præterea Electores non recipiunt facultatem eligendi à dictis Decretis, ſed illam habent, & habebant prius à Conſtitutione:Ergo non mirum ſi electio ſit valida, non præſtito iuramento,quia ex vi Conſtitutionis (in qua traditur forma huius electionis)non requiritur.

Ad ſecundum reſpondeo, declarando maiorem: lex enim quandoque eſt prohibitiua, prohibens aliquid fieri: & quandoque eſt ordinatiua,ordinans, vt aliquid fiat. Regula enim procedit,quando lex eſt prohibitiua, vt patet ex dicta lege Non dubium.C.de legibus,& ex Doctoribus, tam in dicta lege,quam in dicta Regula. Tunc enim dato,quod dicta lex non irritet actum contra dictam legem factum, hoc non obſtante,

eſt

eſt irritum, & nullum, vt clarè patet ex dicta lege Non dubium,C.de legibus.

Sed in caſu noſtro, dicta Decreta non ſunt prohibitiua, ſed ordinatiua: Ergo electio ſupradicta facta, omiſſis iuramentis, vel aliquo ipſorum, licet ſit facta contra diſpoſitionem dictorum Decretorum,non eſt ipſo facto irrita, & nulla, quia in dictis Decretis non habetur hæc clauſula irritans, ſed eſt valida, (& in hoc differt lex prohibitiua ab ordinatiua) & per conſequens, dum per ſententiam Iudicis non irritatur, valet; ita Calder.conſil.2.de Conſti. An Capitulum,num.2. verbo,Vel dato,&c. quem refert,& ſequitur Card.Tuſcus litter.A. concluſ. 145.

Verum,quia dicta electio eſt facta contra ordinationem Superiorum, Electores poſſunt puniri, vt patet ex Decreto Reformationis Clementis Octaui, num. 40. Et non ſolum ad inſtantiam cuiuſuis Vocalis, vt patet ex Decretis Capitularibus noſtræ Congregationis par.3.cap.9.num.14.ſed etiam ex officio à Superioribus; & electio irritari poterit, quia licet dicta iuramenta non ſint de forma electionis,tamen pertinent ad ſubſtantiam electionis: quia multum conferunt ad ipſam bonam faciendam.

Si aliquis vellet ſuſtinere primam opinionem, quoad Decretum Clementis Octaui 36.de Reformatione,poſſet, quia forma ab ipſo præſcripta eſt ſubſtantialis; cum ſit de eſſentia electionis obligatio eligendi digniorem.

Et quando lex dat formam ſubſtantialem ſeruandam in aliquo actu, illius omiſſio ſemper reddit actum nullum, vt ſupra probatum eſt.Forma vero præſcripta in noſtro Decreto part. 3.cap.1.num.14.non eſt eſſentialis electioni.

Præterea in dicto Decreto 36. apponitur tempus, in quo iuramentum præſtari debet, nempe priuſquam ad electionem deueniatur: ſed tempus ordinatum à ſtatuto dicitur eſſe de forma,vt docet Roland.conſ.72.num.71.lib.3.Oſach.Pedam.

Deciſ. 163. num. 9. cum ſequent. Virgil. Boccac. in Conſtitut. Marchiæ glo. 6. num. 162. quos refert, & ſequitur Auguſtin. Barboſa in Tract. Varijs, Tract. Axiomata iuris, verbo Forma, num. 2. verſ. Quarto, &c. Ergo illa non ſeruata, actus eſt ipſo iure nullus. l. Meuius. l. Qui hæredi. ff. de Condit. & demonſtr. l. 1. & 2. C. Quando prouocare non eſt neceſſe. Gloſa in ver. Irritum, in cap. Dilecta, & ibi Panormit. num. 4. & Felin. num. 6. de Reſcriptis, & alij, quos refert, & ſequitur Barboſa, vbi ſup. num. 3.

Quartum Dubium eſt: Vtrum ſchedularum ſcrutinia, omnia fieri debeant in eadem ſeſſione, vel poſtquam cœpta ſunt, differri poſſint? Reſpondeo, quod duæ poſſunt eſſe opiniones, vna, quod differri non poſſint. Probatur primo ex Decreto Capituli Generalis anni 1627. quod eſt part. 3. cap. 7. num. 28. & incipit, In Capitulis, &c. in quo ſtatuitur, quod cępto ſcrutinio de qualibet re propoſita, Præpoſitus non poteſt definitionem in aliud tempus protrahere, ſed decernere debet.

Secundo, ad hunc finem à Capitulo Generali ſtabilitus eſt numerus ſchedularum ſcrutiniorum, vt non excedant quintã vicem, ad hoc vt vnico actu fiat electio; & extirparentur contentiones, & mali tractatus, qui oriebantur ex reiteratione ſcrutiniorum, ſeu ballottationum, vt experientia demonſtrauerat ante præſens Decretum.

Altera opinio poteſt eſſe, quod differri poſſunt ex conſenſu maioris partis Vocalium. Probatur primo, quia hoc ſemper fuit in conſuetudine in noſtra Congregatione, quæ eſt optima legum interpres.

Secundo, ad hunc finem conceſſum eſt ſpatium duorum dierum ad electionem faciendam, vt toto eo tempore Vocales gauderent iure faciendi ſcrutinia, ſiue in eadem ſeſſione, ſiue in diuerſis.

Ad rationes verò primæ opinionis reſponderi poteſt. Et ad primum dico, quod Decretum illud loquitur de ſolis Præpoſi-

tis;

tis; Ergo non eſt extendendum ad electionem Vocalis, à quo Præpoſiti excluduntur. Præterea non militat eadem ratio, Quæ fuit,ne Præpoſiti differendo concluſiones, Vocales in ſuas ſententias, eorum authoritate adducerent, quia Præpoſiti in nullo ſe immiſcere poſſunt in dicta electione,vt patet ex Conſtit.part.3.cap.1.num.2.

Ad ſecundum negatur aſſumptum.

Quintum Dubium eſt:Vtrum facto ſecundo ſchedularum ſcrutinio, ſi de facto ex communi conſenſu Vocalium differatur ſcrutinium ad aliam ſeſſionem, computari debeant in ſecunda ſeſſione illa duo ſcrutinia,facta in prima ſeſſione,necne? Reſpondetur affirmatiuè, quia alias daretur progreſſus quaſi in infinitum.Præterea ex præſenti Decreto, tam in prima parte,quam in vltima,colligitur,quinque tantum, & non vltra fieri debere ſchedularum ſcrutinia. Et ita fuit declaratum ab Admod. R.P. Generali D. Philippo Maria Guadagno, & ſuis Conſultoribus.

Sextum Dubium eſt.Quando dubium eſt, an aliquis Vocalis poſſit in electione Vocalis pro Capitulo Generali interuenire: Vel alia difficultas oriatur: Nec adeſt tempus recurrendi ad Patrem Generalem,& ſuis Conſultoribus: Quis poſſit hanc dubitationem decidere, Præpoſitus Domus tantum, vel Vocales abſque Præpoſito, vel omnes ſimul Capitulariter congregati? Reſpondeo, quod ſi difficultas eſt circa perſonam alicuius Vocalis an poſſit interuenire nec ne, debet admitti cum proteſtatione,vt eius vox valeat,ſi & in quantum appareat eũ poſtmodum debuiſſe intereſſe, vt docet Panor. in c.Cumana, extra de Electione,quem refert,& ſequitur Sylu. verb.Electio primo.quæſt.15.num.17. Et in hoc caſu, ſcrutatores debent aduertere,& notare ſi ad electionem concurrat votum Vocalis admiſſi cum proteſtatione,vel non: & ſi non concurrit,electio erit valida: ſi vero concurrat,electio erit valida vſque ad declarationem.

Facta vero declaratione,ſi declaratum fuerit à P.Generale, & Conſultoribus, (quibus competit ſimiles controuerſias definire)potuiſſe interuenire,electio erit valida: ſi vero non potuiſſe interuenire,electio erit inualida, & Electores poſſunt de nouo electionem facere, intra terminum duorum dierum, iuxta Decretum,quod eſt par.3.c.1.n.1. quia Electores nullam culpam commiſerunt. Et ſi alia difficultas orta fuerit, deferri debet ad Patrem Generalem, & ſuos Conſultores,iuxta Decretum,quod eſt part.3. cap.1.num.12. Et ita fuit declaratum à Patre Generali D. Philippo Maria Guadagno, & ſuis Conſultoribus,die 24.Auguſti 1629.vt patet ex libr. Conſultationum fol.38.à tergo num.6.

Septimum Dubium eſt. Si de facto Vocales Domus declarent N. Vocalem non poſſe intereſſe electioni Vocalis pro Capitulo Generali: & facta dicta declaratione,faciant electionem,non vocato N. Quæritur an dicta electio ſit valida? Reſpondeo, quod ſi N. re vera erat priuatus,vel inhabilis,valet electio facta,illo non vocato;licet primo non ſit diſcuſſum, an ſit priuatus,necne,quia ſatis eſt, quod poſtea conuinci poſſit; ita Panorm.in cap.2. de Poſtulat.Prælat.num.15.& Innoc. ibidem num.2.in fine, verſ. De his priuatis ipſo iure,&c. quos refert,& ſequitur Sylueſt.verb.Electio primo.§.2.num.3.in principio,verſ.Secus autem,&c.& num.6.in fine, verſ.Sextum ſi autem,&c.Si vero non erat priuatus,nec inhabilis, dico electionem non eſſe irritam, ſed irritari poſſe ad petitionem N. cap.Bonæ memoriæ,il ſecondo,de Electione,in fine, ibi, Tum quia inuentus eſt N.fuiſſe contemptus. Sylueſt. verb. Electio, primo.§.5.num.6.verſ.Quintum,&c. Caſtellinus de Electione cap.4.num.49.verſ.Vniuerſaliter loquendo,&c.

Poteſt tamen N.eam ratam habere ſi vult,quia non eſt irrita ipſo iure,ſed irritanda illo proſequentè iniuriam, aliàs non, quia quilibet renunciari poteſt iuri ſuo. l. Si quis in conſcribendo. C. de Pactis. & ita docet Sylueſter in verbo Ele-

ctio,

ctio, primo, num 6. verſic. Quintum electorum, &c. in principio.

Octauum Dubium eſt. Si aliquis Vocalis vocis actiuæ, & paſſiuæ, in electione Vocalis pro Capitulo Generali renunciaſſet pro illo actu voci paſſiuæ: Vtrum poſſit interuenire illi electioni tamquam Vocalis vocis actiuæ tantum?

Et ratio dubij eſt, quia qui toti renunciare poteſt, poteſt etiam & parti, l.Quæ de tota.ff. de Rei vendicatione, vbi glo. & Bart.cap.Super quæſtionem.§.fin. & cap.Paſtoralis. §. Item cum totum, de Officio deleg. Vnde ſicut in eius electione eſt, intereſſe dictæ electioni necne, iuxta Decretum, quod eſt part.3.cap.1.num.3. Ita etiam videtur in eius electione eſſe interuenire cum vna voce, nempe actiua tantum, & non cum duabus. Reſpondetur negatiuè, quia licet ſit in eius facultate intereſſe, vel non intereſſe tali electioni, tamen ſi voluerit intereſſe non poterit renunciare voci paſſiuæ.

Primo, Quia vox paſſiua eſt ei conceſſa à Religione principaliter ob beneficium commune Religionis, cui renunciare non poteſt, l.Ius publicum.ff.de Pactis.

Secundo, Illa renunciatio poteſt eſſe non ſolum in præiudicium Communitatis, ſed etiam tertiæ perſonæ: Nam ſi eſſent tres tantum Vocales in Capitulo vtriuſque vocis, ſi vnus renunciaret voci paſſiuæ, cæteri cogerentur alterum eligere: ſed fauori proprio quis renunciare non poteſt, quando vertitur in damnum publicum, vel priuatum, vt docet Decius in l. Inuito.ff.de Regulis iuris: Ergo renunciare non poteſt.

Tertio, Qui ſponte renunciat voci actiuæ, priuatur à Capitulo Generali etiam voce paſſiua, vt patet ex parte 3. Decretorum cap.1.num 3. Ergo eadem ratione, qui ſponte renunciat voci paſſiuæ, priuatur etiam voce actiua.

Nec obſtat, quod dictum eſt, quod qui poteſt renunciare toti, poteſt etiam & parti renunciare: nam illa regula procedit quando totum, & pars ſunt eiuſdem rationis: ſed in caſu

no-

noſtro, diuerſæ rationis eſt ingredi Capitulum cum vno tãntum voto, nempe actiuo tantum, vel cum duobus: Quia qui intrat cum duobus poteſt eligere, & eligi: & qui intrat cum vno poteſt eligere,& non eligi.

Sed dato, & non conceſſo, quod eſſent eiuſdem rationis, Dico,quod illa regula non procedit, quando ab alia lege poſteriore eſt ſtatutum contrarium. Sed in caſu noſtro eſt ſtatutum contrarium,vt patet ex Decreto ſupradicto.Ergo quamuis poſſit renunciare toti voci, non tamen poteſt renunciare parti.

Nonum Dubium eſt. Si omnes, & ſinguli Vocales alicuius Domus nollent electionem Vocalis pro Capitulo Generali facere: Vtrum poſſint hoc facere?

Reſpondeo, quod prima facie videtur affirmatiuè eſſe reſpondendum,per Decretum Capituli Generalis,quod eſt par. 3.cap.1.num. 3. in quo ſtatuitur, quod qui ſua ſponte electioni Vocalis intereſſe noluerit, actiuo, & paſſiuo priuetur ſuffragio: Ergo liberum cuique eſt intereſſe, vel non intereſſe dictæ electioni,& per conſequens eligere, vel non eligere; Sed pars negatiua eſt probabilior, & probatur, Primo ex Conſtitione parte 3. cap. 1. num. 4. in fine, *Ad Vocalem in ſingulis Domibus eligendum, conueniant Vocales cæteri, ac nemo ſe excuſet.*

Secundo, probatur ex Decreto Capituli Generalis, quod eſt part. 3. cap.1.num.2. vbi dicitur: *Ad Vocalem in ſingulis Domibus pro Generali Capitulo eligendum, Vocales cæteri, ne dum conueniant, ac nemo ſe excuſet, aut ſubtrahat, verumetiam electioni de ſe iam factæ quiſque aſſentiri teneatur.*

Tertio, probatur ex præſenti Decreto Capituli Generalis anni 1627. ex illis primis verbis,Vt certa ſit Vocalis ad Capitulum Generale interfuturi electio. Ex quibus verbis colligitur, quod intentio Capituli Generalis fuit, vt omnino fieret electio.

Nec

Nec obſtat Decretum pro parte affirmatiua allatum, quia non ſolum per illud non conceditur facultas non interueniendi electioni Vocalis, immo punitur ille, qui ſine iuſta cauſa, ſed ſua ſponte intereſſe noluerit, vt patet ex verbis ſubſequentibus, *actiuo, & paſſiuo priuetur ſuffragio.*

Sed dato, & non conceſſo, quod ex vi illius Decreti aliquibus liberum ſit intereſſe, vel non intereſſe, non tamen ſequitur, quod ſit omnibus ſimul iunctis conceſſum id, quod particularibus conceſſum eſt; vt patet de matrimonio contrahendo: Nam licet particularibus perſonis conceſſum ſit, non cõtrahere matrimonium, non tamen conceſſum eſt omnibus, & ſingulis; Nam matrimonium eſt in præcepto: ſed eſt præceptũ affirmatiuum obligans ſemper, non tamen pro ſemper; ſed in caſu extremæ neceſſitatis, vt probat Petrus de Ledeſma de Matrimonio, quæſt. 41. art. 2. Vnde ſequitur, quod non poſſint omnes non eligere.

Decimum Dubium eſt. Suppoſita præcedenti concluſione, quod omnes, & ſinguli Vocales alicuius Domus teneantur eligere Vocalem pro Capitulo Generali. Quæritur nunc, ſi de facto non eligant intra tempus ſtatutum: Vtrum profeſſione ſenior cenſeatur electus?

Reſpondetur affirmatiuè, vt patet ex primà parte præſentis Decreti, in qua vult, vt certa ſit Vocalis electio, & non ſequuta electione poſt quintum ſchedularum ſcrutinium, antiquior profeſſione electus cenſeatur. Ergo dum à Vocalibus non eſt facta electio tempore ſtatuto, & cum illo tranſacto de electione amplius agere non poſſint, vt patet ex Decreto quod eſt part. 3. cap. 1. num. 1. Et inſuper Capitulum Generale decernat, vt certò ſequatur electio, & ea non ſequuta, antiquior profeſſione electus cenſeatur, vt patet ex ſupradictis: Sequitur, vt profeſſione ſenior electus cenſeatur à Capitulo Generali, & electioni de ſe factæ aſſentiri teneatur.

Sed contra ſupradictam deciſionem, obſtare videtur præ-

ſens Decretum in finalibus verbis, dum dicit, Vocalis profeſſione antiquior,(nota)cui tamen aliquis ſuffragatus fuerit,electus habeatur. Ergo neceſſario requiritur,vt aliquis ex Vocalibus ei ſuffragatus fuerit: ſed in caſu noſtro nemo ſuffragatus fuit: Ergo non poteſt cenſeri electus.

Reſpondeo, eſſe differentiam inter electionem, in qua feruntur ſuffragia,& inter illam,in qua nullo pacto feruntur ſuffragia: In prima habent locum verba præſentis Decreti in fine: In ſecunda habet locum noſtra deciſio, quæ confirmatur ex Declaratione facta ſub die 24. Auguſti 1629. à Conſultatione,de qua fit mentio Dubio 22.in fine.

Vndecimum Dubium eſt. In quarto ſchedularum ſcrutinio duo fuerunt declarati à ſcrutatoribus, de quibus facienda erat electio, & in quinto ſcrutinio vnus illorum fuit electus: ſed facta electione occurrit impedimentum, propter quod ad Capitulum Generale accedere non poterit. Quæritur nunc: Vtrum ad aliam electionem ſit accedendum, vel alter relictus in quinto ſchedularum ſcrutinio cenſeatur electus?

Reſpondeo,ad aliam electionem accedendum eſſe, & de ſcrutinijs factis nullam rationem haberi debere. Et ratio eſt, quia hæc ſecunda in omnibus, & per omnia eſt noua electio. Vtrum autem ille,qui primo fuerat electus, & propter impedimentum non potuit ad Capitulum Generale accedere, in alia electione facienda poſſet ingredi ad ſuffragium ferendũ? Reſpondetur affirmatiuè; quia licet propter impedimentum ſit ſuſpenſus voce paſſiua, non autem eſt priuatus, vel ſuſpenſus voce actiua. Et hæc deciſio non eſt contraria deciſioni factæ ſupra Dubio octauo, quia ibi ſponte renunciauit voci paſſiuæ,& abſque cauſa: hic vero excuſatur ex iuſta cauſa.

Duodecimum dubium eſt. Quando Vocalis electus pro Capitulo Generali dicit, ſe aliquo detineri impedimento, propter quod ad Capitulum Generale accedere nequit, Quæritur,an ei credendum ſit, vel teneatur illud probare?

Et ad quem ſpectet illud iudicare, an ſit iuſtum, necne? Reſpondeo ad primum, quod tenetur illud probare, vt patet ex l. Actor. C. de Probationibus. Et ad ſecundum dico, quod ad Adm. R. P. Generalem, & Conſultores ſpectat iudicare an ſit legitimum necne, vt patet ex Decreto Capituli Generalis, quod eſt par. 3. cap. 1. num. 12. Et ita fuit iudicatum à P. Generali D. Stephano Medices, vna cum ſuis Conſultoribus, ſemel die 29. Decembris 1633. incipiendo à Natiuitate Domini, & altera vice die 26. Februarij 1633. vt patet ex lib. Conſult. fol. 56. à tergo, & fol. 58. à tergo.

Eſt tamen aduertendum, quod ſi non adeſſet tempus congruum recurrendi ad Patrem Generalem, & Conſultores, & impedimentum eſſet manifeſtum, poſſent Vocales Domus aliam electionem facere. Et probationes impedimenti, & nouę electionis deferre ad Capitulum Generale.

Decimumtertium Dubium eſt. Vtrum Vocalis actiuæ, & paſſiuæ vocis cœcus (qui ante cœcitatem erat talis) poſſit eligi ab Electoribus in Vocalem pro Capitulo Generali?

Et videtur dicendum, quod ſic, quia ſicut poteſt exercere vocem in Capitulis particularibus Domorum, & actu exercēt cœci in noſtris Domibus, poteſt etiam exercere illam in Capitulo Generali. Præterea declaratum eſt in duabus diuerſis Conſultationibus, vna die 3. Octobris 1629. & altera die 5. Auguſti 1630. quod occurrente caſu cœco dandi votum ſecretè, poſſit illum dare ad aures ſcrutatorum: Ergo eodem pacto poterit dare ſuum votum in Capitulo Generali.

In contrarium vero facit, quod cœci in noſtra Religione numquam exercuerunt vocem paſſiuam: ſed eligi in Vocalem pro Capitulo Generali pertinet ad vocem paſſiuam, quia illi tantum eligi poſſunt, qui habent vocem paſſiuam: Ergo cœci Vocales vtraque voce, licet poſſint eligere in dicto caſu, non tamen poſſunt eligi.

Nec obſtant in contrarium adducta pro parte affirmatiua,

quia ad primum reſpondeo, quod in Capitulis particularibus Domorum non exercent niſi vocem actiuam tantum.

Et ad ſecundum dico, quod illæ Declarationes ſunt in caſibus vocis actiuæ, & ideo non licet ab illis illationem facere ad caſus, in quibus requiritur vox paſſiua. Nam ex diuerſis non fit illatio. l. Papinianus exuli. ff. de Minoribus.

Si vero de facto eligantur, electio poteſt irritari ab Adm.R. P.Generali, & Conſultoribus: non ſolum ad inſtantiam cuiuſuis Vocalis, ſed etiam ex officio; quia non ſolum ſunt inhabiles ex cauſa ſupradicta, ſed etiam quia non poſſunt Romam ire abſque magno diſpendio, periculo,& incommoditate. Nec negocia, quæ ſunt pertractanda in Capitulo Generali, poſſunt bene tractari à cœcis.

Quartum decimum Dubium eſt. Si, facto quarto ſcrutinio, non ſequatur electio,& ſeligantur duo, quibus plures è Vocalibus fuerint ſuffragati: Quæritur, ſi non ſequatur electio alterius illorum duorum in primo ſcrutinio, ſed ſint paria vota: Vtrum profeſſione ſenior cenſeatur electus; vel ſecunda, & tertia vice debeat fieri ſcrutinium?

Reſpondeo, quod profeſſione ſenior cenſetur electus: Nec Patres debent vltra procedere ad ſcrutinandum. Et ratio eſt quia ex præſenti Decreto, verſiculo, In qua Domo, &c. habetur, quod ſi in quinto ſcrutinio nemo electus ſit, profeſſione antiquior pro electo habeatur. Ergo ſchedularum ſcrutinia non debent progredi vltra quintam vicem.

Præterea in prima parte præſentis Decreti dicitur: *quæ ſi forte paria fuerint, antiquior profeſſione electus cenſeatur*, & non indicat, an in primo, vel ſecundo ſcrutinio, poſt ſelectionē duorum,& non facta electione cenſeri debeat pro electo. Ergo pro prima vice intelligi debet; nam aliàs progreſſus daretur in infinitum: quia non eſt maior ratio, quare in ſecunda, vel tertia vice cenſeri debeat pro electo, & non in quarta, vel quinta, vel vltra. Et ita fuit deciſum ab Admod. R. P. Generali

rali D. Philippo Maria Guadagno, & ſuis Conſultoribus, die 24. Auguſti 1629. vt patet ex libro Conſultationum fol. 38. num. 3.

Quintum decimum Dubium eſt. Quando duo, qui habent paria vota, ſcrutinio ſubijciuntur de nouo, & nemo eligitur: (cum ſecundùm Decretum profeſſione antiquior cenſeatur electus) Quæritur, quis antiquior profeſſione cenſeatur electus: nempe alter ex dictis duobus, vel profeſſione ſenior ex Vocalibus Capituli?

Reſpondeo, quod alter ex duobus ſelectis profeſſione antiquior cenſetur electus, non autem ex Vocalibus Capituli. Et ratio eſt, quia forma applicari debet ſubiectæ materiæ. Vnde cum tractetur de electione illorum duorum, antiquior profeſſione illorum duorum cenſetur electus in paritate ſuffragiorũ. Et ita fuit deciſum ab Admod. R.P.D. Philippo Maria Guadagno, & ſuis Conſultoribus die 24. Auguſt. 1629. vt patet ex lib. Conſult. fol. 38. num. 4.

Sextum decimum Dubium eſt. Vbi plures fuerint Vocales, ſi facto quarto ſchedularum ſcrutinio, nullus fuerit electus, & duo fuerint nominati, quibus plures è Vocalibus fuerint ſuffragati: & vnus de duobus nominatis nollet amplius Capitulo intereſſe: Quæritur, Vtrum poſſit hoc facere, vel teneatur aſſentire nominationi de ſe iam factæ, iuxta Decretum, quod eſt part. 3. cap. 1. num. 2.?

Reſpondetur, quod eſt in eius libertate Capitulo intereſſe necne; etiam poſt dictam nominationem factam, vt patet ex Decreto, quod eſt par. 3. cap. 1. num. 3. Nec obſtat Decretum ſupradictum ſecundum, quia loquitur, quando quis eſt electus. Et in caſu noſtro illa declaratio, ſeu nominatio, quæ fit à ſcrutatoribus in quarto ſcrutinio, non eſt electio; & ideo non eſt mirum ſi poteſt ſe exemptare.

Decimum ſeptimum Dubium eſt. Stante ſupradicta Deciſione, Quæritur, Vtrum alter nominatus abſque alio ſchedula-

rum ſcrutinio intelligatur electus, vel alius erit nominandus loco illius, qui ſe ſubtraxit?

Reſpondetur, alium eſſe nominandum, abſque nouo ſchedularum ſcrutinio. Et ratio eſt, quia per præſens Decretum in quarto ſcrutinio, dum non ſequitur electio, duo ſunt nominandi. Ergo dum vnus deficit, alter aſſumi debet.

Decimum octauum Dubium eſt. Stante etiam ſupradicta deciſione, Quæritur, ſi alius erit nominandus, quis erit? ille ne qui plura vota habuit ex illis Vocalibus, qui remanſerunt, facto quarto ſchedularum ſcrutinio; vel ille, qui eſt profeſſione ſenior inter illos Vocales, qui remanſerunt?

Reſpondetur, illum eſſe nominandum ex Vocalibus, qui remanſerunt, cui plures fuerũt ſuffragati, vt patet ex prima parte præſentis Decreti, ibi, Duo à ſcrutatoribus declarentur, quibus plures numero Vocales fuerint ſuffragati. Et ſi duo paria ſuffragia habuerunt, profeſſione ſenior erit nominandus, & vnà cum alio, qui remanſit ex duobus primo nominatis, erit eligendus in quinto ſchedularum ſcrutinio. Et ratio eſt, quia per præſens Decretum, in paritate votorum, præfertur profeſſione ſenior.

Decimum nonum Dubium eſt. Vtrum nominatus in quarto ſchedularum ſcrutinio, qui ſe exemptauit, poſſit in aliorum electione ferre ſuffragium?

Reſpondetur negatiuè. Et ratio eſt, quia qui ſua ſponte electioni intereſſe noluerit, actiuo, & paſſiuo priuatur ſuffragio, vt patet ex Decreto Capituli Generalis, quod eſt part. 3. cap. 1. num. 3.

Vigeſimum Dubium eſt. Quid ſi duo Vocales ex quinque paria vota habuerint, an quando de eorum electione agitur, debeant, & ipſi ſimul cum alijs tribus interuenire, & alter alteri neceſſario ſuffragari? An vero debeant abeſſe, ita vt tota electio ad tres tantummodo Vocales pertineat, qui eligere debeant alterum ex illis duobus?

Re-

Reſpondeo,quod illi duo,qui paria vota habuerunt, interuenire non debent, dum de eorum electione agitur: ſed totã electionem pertinere ad alios tres. Et ratio eſt, quare interuenire non debeant, quia eorum electio eſſet coacta, nam alter alteri teneretur neceſſariò ſuffragari. Præterea illorum votum eſſet fruſtratorium. Et ita fuit deciſum ab Admod. R.P. Generali D. Philippo Maria Guadagno, & ſuis Conſultoribus, vt apparet ex libro Conſultationum. fol. 38. num. 2. ſub die 24. Auguſti 1629.

Vigeſimum primum Dubium eſt. Quia poteſt accidere,(in pluralitate votorum) vt aliqui in primo, vel ſecundo, vel tertio ſchedularum ſcrutinio plura habeant vota,non tamen in quarto. Et in quarto alij plura habeant vota,ſed non in maiori numero quàm habuerint illi in primo, vel ſecundo, vel tertio ſcrutinio: Quæritur,an ſelectio duorum fieri debeat ex ijs, quibus plures fuerint ſuffragati in quolibet ex quatuor ſcrutinijs,vel ex ijs,qui in quarto tantum ſcrutinio plura habuerunt vota? Et ſimiliter (in paritate votorum) quia contingere poteſt,vt vbi plures ſunt Vocales, plures habeant paria vota in primo,vel ſecundo,vel tertio ſcrutinio, & ſint diuerſi ab illis, qui in quarto ſchedularum ſcrutinio, etiam paria vota habuerunt. Quæritur,qui nam erunt illi duo profeſſione ſeniores nominandi, illi ne, qui in quarto tantum ſchedularum ſcrutinio paria vota habuerunt,vel illi profeſſione ſeniores, qui in quolibet ex primis tribus ſcrutinijs paria vota habuerunt?

Reſpondeo,quod in primo caſu debẽt declarare illos duos, qui in quarto ſchedularum ſcrutinio habuerunt plura vota. Et in paritate votorum debent declarare illos profeſſione ſeniores,qui in quarto ſcrutinio habuerunt paria vota; nulla habita ratione illorum, qui in primo, ſecundo, & tertio ſchedularum ſcrutinio habuerunt plura,vel paria vota. Et ratio eſt, quia dum nemo eſt electus per illas tres priores vices, nulla ratio haberi debet de illis ſchedularum ſcrutinijs; vt colligi

po-

poteſt ex textu præſentis Decreti in prima parte,ibi,*In quarto ſchedularum ſcrutinio,&c.*Et ita fuit declaratũ dictũ Decretum ab Adm.R.P.Generali D. Philippo Maria Guadagno, & ſuis Conſultoribus in Dubitatione præpoſita, vt apparet ex libro Conſultationum fol.42.die 14.Nouembris 1629.

Vigeſimum ſecundum Dubium eſt.Quid ſi quinque fuerint Vocales,& ex eis vnus tantummodo fuerit, cui plures, puta, duo fuerint ſuffragati; cæteri vero ſinguli,ſingula vota habuerint,an eo caſu ſit eligendus ille ſolus, cui duo Vocales fuerũt ſuffragati; an vero etiam cum illo alter profeſſione antiquior, cui vnus tantum Vocalis eſt ſuffragatus, de quorum duorum dumtaxat electione deinceps per ſecretas ſchedulas agatur?

Reſpondeo,duos eſſe eligendos,nempe illum, cui duo fuerint ſuffragati,& alterum ex tribus, profeſſione ſeniorem, cui vnus tantum Vocalis fuerit ſuffragatus. Et ratio eſt, quia per præſens Decretum duo nominari debent à ſcrutatoribus: & electio ad hoc vt ſit libera, & non coacta, non debet reſtringi ad vnum.Ergo cum duo ſint nominandi, & vni tantum plures ſunt ſuffragati, & per præſens Decretum ſemper in pari voto præferatur profeſſione ſenior, ſequitur, quod alter profeſſione ſenior aſſumi debeat.Et ita fuit deciſum ab Adm.R.P. Generali D.Philippo Maria Guadagno, & ſuis Conſultoribus, vt apparet ex lib.Conſultat.fol.37.à tergo,die 24.Aug.1629. ibi,Primum eſt,&c.

Vigeſimum tertium Dubium eſt.Si in aliqua Domo per accidens ſint duo tantum Vocales,& vnus nolit alterum eligere, quis illorum poſſit,vel debeat ad Capitulum Generale venire?

Reſpondeo, quod ſiue per accidens, ſiue quocunque modo, duo tantum Vocales fuerint in aliqua Domo, & vnus nollet alterum eligere: profeſſione antiquior cenſetur electus. Et ratio eſt,quia Capitulum Generale vult, vt omnino electio ſequatur.Ergo dum vnus non vult alterum eligere,Capitulum Generale eligit alterum, qui remanet, qui intelligitur profeſ-

ſio-

ſione ſenior. Nec obſtat, electionem eſſe coactam in hoc caſu;nam per accidens ſuccedit,cum ſaltem tres Vocales debeãt eſſe in qualibet Domo. Et electio coacta hoc modo per accidens,eſt firma,rata,& Canonica,vt patet ex Decreto Capituli Generalis,quod eſt part.3.cap.1.num.8.Et ita fuit declarata præſens dubitatio ab Adm.R.P.Generali D. Philippo Maria Guadagno,& ſuis Conſultoribus, vt patet ex lib. Conſult. fol. 35.à tergo,num.5.ſub die 24.Auguſti ann.1629.

Contra ſupradictam deciſionem obijci poteſt id quod obiectum eſt contra deciſionem Dubij decimi in fine,ibi,Sed contra,&c. ſed ibidem patet reſponſio.

Vigeſimum quartum Dubium eſt. Si in vna Domo ſex adſint Vocales,ex quibus duo nolint electioni intereſſe, Quæritur, Si in quarto ſchedularum ſcrutinio nullus ſit electus, Vtrum procedendum ſit ad quintum ſchedularum ſcrutiniũ, vt notatum eſt in Decreto, verſiculo, *In qua Domo tres tantum,&c.*vel ſint à ſcrutatoribus nominandi duo,vt notatum eſt in prima parte Decreti?

Reſpondetur,quod procedendum eſt ad quintum ſchedularum ſcrutinium, vt notatum eſt in verſic. *In qua Domo tres tantum,&c.* Et ratio eſt, quia licet in illa Domo materialiter ſex adſint Vocales, tamen dum duo ſe ſubtraxerunt ab electione, quatuor tantum remanent de Capitulo illius Domus formaliter; & ideo de illa electione iudicandum eſt, ac ſi tantum quatuor Vocales adeſſent in illa Domo.

Vigeſimo quinto quæritur,Vtrum diſpoſitio pręſentis Decreti habeat etiam locum in electione Conſultoris pro Capitulo Generali?

Reſpondetur affirmatiuè. Et ratio eſt,quia omnia, quæ ſtabilita ſunt de electione Vocalis pro Capitulo Generali tam in Conſtitutionibus,quàm in Decretis Capituli Generalis, procedunt etiam in electione Conſultoris pro Capitulo Generali,& ita in praxi hucuſque ſeruatum eſt.

Pro-

Probatur primo ex Conſtitutione par. 3. cap. 1. num. 4. cuius verba ſunt hæc: *Patres Conſultores pro Vocali eligendo, prius cum cæteris S. Silueſtri Patribus Vocalibus conueniant, & vna cum illis actiuam, & paſſiuam habeant vocem, (nota) ac more cæterorum, ſuam electionem faciant. Si Vocalis electus ex Conſultorum fuerit numero, nulla præterea fiat electio, ſin ſecus (nota) rurſus Conſultores inter ſe alium ex ſuo ipſorum numero eligere poterunt.*

Aduerte hic, quod dum non ponit alium modum eligendi inter Conſultores, refertur ad ſuperiora, vt more cæterorum ſuam electionem faciant.

Secundo, Reſtrictio temporis facta Vocalibus Domorum pro electione Vocalis pro Capitulo Generali, quæ habetur in Decretis part. 3. cap. 1. Decreto primo, ſemper fuit ſeruata etiam à Conſultoribus.

Tertio in Capitulo Generali an. 1633. N. fuit admiſſus in dicto Capitulo, vt Conſultor, & tamen non fuit electus, nam vnum habuit votum: ſed quia profeſſione erat antiquior, fuit admiſſus vigore præſentis Decreti.

Quarto, eadem eſt ratio, tam in vno, quam in alio: Ergo eadem debet eſſe iuris diſpoſitio. cap. Dudum, il ſecondo, de Electione.

PARS

PARS TERTIA.

Continens nonnullas Regularium quæſtiones, plenius, quam ante diſcuſſas.

PRIMO Quæritur, Si Nouitius, dum eſt in Religione, grauiter delinquat, à quo puniri debeat?

Ego in meis Commentarijs ad Cõſtitutiones Clericorum Regularium parte 2.cap.5.lit.R. §.1.fol.221. dixi, quod puniri poteſt à Prælato Regulari Religionis,in qua manet, (ſi in Religione manere vult) ac ſi eſſet profeſſus. Si vero à Religione egredi eligat, à Iudice ſæculari puniri poterit, ſi ante ingreſſum in Religionem erat ſæcularis, vel ab Eccleſiaſtico ſi erat Clericus.

Sed contra iſtam opinionem tenet Bonacina in ſuo Tract. de Legibus,Diſp. 10.q.2.p.1.§.2.num.5.fol.mihi 978.& Layman in ſua Theologia morali, lib.4.Tract.9.cap.8. nu.5. quos refert,& ſequitur Diana,Volum.3.ſuarum Reſolutionum moralium,Tract.1.de Immunitate Eccleſiaſtica, Reſolut. 34. fol. 18.Et ratio,quam afferunt eſt,quia ad cognoſcendum,cui foro quis ſubijciatur,quando delinquit, inſpiciendum eſt delicti tempus,& ſtatus, in quo delinquens reperiebatur, vt docent multi Doctores,quos refert,& ſequitur Sayrus in lib.12. Clauis Regiæ cap.7.ſub num.9.verſ. Si enim tempore, &c. vſque ad numerum 10.& Bonacina vbi ſupra. Qui confirmat ſuam opinionem Deciſione Conſilij Neapolitani,quam refert Grãmaticus Deciſ.10.num.3. De Clerico Beneficiato, qui Cleri-

cali ſtatu derelicto, vxorem duxerat, & tempore Clericatus delictum commiſerat: fuit deciſum, quod non poterat à Iudice laico puniri.

Pro deciſione præſentis difficultatis, ne in obſcuro ambulemus, hæc ſunt ſupponenda.

Primo eſt ſupponendum, differentiam eſſe non paruam inter forum Regularium, & ſecularium, (tam purè ſecularium, quàm Clericorum ſecularium) in delictis puniendis. Nam Regulares ſolos profeſſos punire ſolent, quando grauiter delinquunt. Nouitios vero eijciunt à Religione abſque pœna eis data; vel ipſi Nouitij diſcedunt à Religione; & Superiores Regulares parum curant punire illos: cum ſint magis intenti ad laudandum Deum, & ad quietem, quàm ad puniendos delinquentes modo forenſe. Et hæc eſt praxis, & vſus vniuerſalis omnium Religioſorum per longum tempus introductus, vt omnibus notum eſt. Iudices verò ſeculares, & Clericorum Secularium, puniunt ſuos ſubditos delinquentes, ſiue permaneant in eodem ſtatu, ſiue illum mutent.

Secundo eſt ſupponendum, duplex eſſe forum Eccleſiaſticum, vnum Clericorum ſecularium, & aliud Regularium. Primum eſt à Iure communi, & eſt ordinarium. Secundum eſt ex Priuilegio, & extraordinarium. Nam ex priuilegio Regulares ſunt exempti ab Epiſcopis Ordinarijs, & eorum Superiores habent iuriſdictionem in ſuos ſubditos.

Tertio eſt ſupponendum, quod Nouitius Regularis, qui ante ingreſſum in Religionem erat ſecularis, dum non eſt incorporatus Religioni per Profeſſionem, non eſt propriè, & perfectus Religioſus, & Eccleſiaſticus; nec in totum liber à iuriſdictione Iudicis ſecularis, ſub qua manebat ante ingreſſum in Religionem, ſed tantum ſuſpenſus pro illo tempore, quo eſt in Nouitiatu; quia eſt tantum in via ad profeſſionem, & ad ſtatū Eccleſiaſticum proprium, & perfectum. Nam habitus ſolus nō facit Monachum, ſed profeſſio. cap. Porrectum. vbi etiam glo.

in

in verbo non faciat,& cap.ex parte de Regularibus. Cardinal. Tuſcus Tom.4.lit.H.Concl.12.fol.199.Et licet dum eſt in Religione gaudeat priuilegio Canonis, & qui illum percutit innodetur ſententia excommunicationis; & eadem ratione gaudeat priuilegio fori pro eodem tempore, vt docent communiter Doctores, tamen omnibus his gaudet ex priuilegijs Sũmorum Pontificum factis ad fauorem Religionum pro illo tãtum tempore,quo eſt in Nouitiatu.Vnde egreſſus à Religione eſt merus ſecularis,& habetur, ac ſi numquam fuiſſet in Religione; Et ſi dum erat in Religione fuiſſet abſolutus à cenſuris & diſpenſatus in irregularitate ex priuilegio conceſſo Religioni,recedendo à Religione,reincidit in eaſdem cenſuras, & irregularitates,ac ſi numquam abſolutus, vel diſpenſatus fuiſſet; vt patet ex noſtro Compendio Priuilegiorum, Tit.Abſolutio, quoad fratres noſtræ Congregationis. §.1.in ſcholio,verſ.Nec etiam obſtat,&c.

Quarto ſupponendum eſt, diuerſum poſſe eſſe ſtatum Nouitiorum ante ingreſſum in Religionem, & poſt diſceſſum ab illa: Et diuerſam poſse eſſe voluntatem Prælatorum Regularium circa punitionem Nouitiorum: Nam Nouitius ante ingreſſum in Religionem,vel erat laicus,vel Clericus. Poſt verò diſceſſum ab illa, vel reaſſumit ſtatum, in quo erat ante ingreſſum Religionis,vel mutat. Voluntas vero Prælati Regularis,vel eſt puniendi Nouitium delinquentem,vel non: ſi puniendi,vel incepit de delicto cognoſcere, antequam Nouitius exiret à Religione,vel non.

His ſuppoſitis ſtatuo infraſcriptas Concluſiones, pro deciſione difficultatis.

Prima Concluſio. In duobus caſibus ſolent,& poſſunt Prælati Regulares punire Nouitios grauiter delinquentes. Primo,Quando dicti Nouitij volunt perſeuerare in Religione, & Religioſi volunt illum tenere, non obſtante delicto commiſſo. (Et ratio eſt,quia dum eſt in Religione eſt ſub poteſtate Præla-

ti Religionis, vt patet ex tertio ſuppoſito; ita quod poteſt Prælatus illum excommunicare, vt docet Sanchez in Præceptis Decalogi Tomo 2. lib. 6. cap. 10. num. 17.) Secundo, Quando Superiores Regulares, licet nolint illum admittere ad profeſſionem, volunt tamen illum Nouitium delinquentem punire, & antequam à Religione diſcedat, incipiunt de delicto cognoſcere, conſtituendo, vel citando reum. Et ratio eſt, quia vbi cœptum eſt iudicium, ibi debet finem accipere. l. Vbi cœptum. ff. de Iudicijs. Molina de Iuſt. & iur. Tom. 4. tract. 3. Diſp. 49. nu. 24. verſ. Quod ſi ille egrediatur Nouitiatum, &c. Sanchez in Præcept. Decalogi, Tom. 2. lib. 6. cap. 10. nu. 13. in fine.

Secunda Concluſio. Quando Nouitius eſt licentiatus à Religione, & non eſt punitus de delicto in Religione commiſſo, à Prælato Regulari; vel Nouitius erat Clericus, & per conſequẽs ſubditus fori Eccleſiaſtici, antequam ingrederetur in Religionem, vel laicus. Si Clericus, ad forum Eccleſiaſticum Epiſcopi ordinarij pertinet illum punire, ſiue perſeueret in ſtatu Clericali poſt diſceſſum à Religione, ſiue illum mutet in ſtatum laicalem. Et ratio eſt, quia dum deliquit, in ſtatu Clericali Eccleſiaſtico erat, ratione Clericatus ante ingreſſum in Religionẽ, & per conſequens immunis à poteſtate laicali: Ergo ad Iudicẽ ſecularem non pertinet de illo cognoſcere. Et dato quod mutauerit ſtatum Clericalem in laicalem, adhuc non pertinet ad Iudicem ſæcularem de illo cognoſcere; quia ad cognoſcendũ, cui foro quis ſubijciatur, inſpiciendum eſt delicti tempus, & ſtatus, in quo reperiebatur delinquens tempore delicti.

Sed in caſibus ſupradictis erat Eccleſiaſticus delinquens quando deliquit, ratione Clericatus ante ingreſſum in Religionem. Ergo nullo pacto pertinet ad Iudicem ſecularem de illo cognoſcere.

Et hanc Concluſionem probat Deciſio Conſilij Neapolitani in principio poſita. Nec etiam pertinet ad Prælatos Regulares de illo cognoſcere. Primo, quia ſic eſt vſus, & conſuetu-

tudo omnium Regularium, vt dictum eſt in primo ſuppoſito. Secundo, quia iuriſdictio Regularium eſt ex priuilegio, & pro illo tantum tempore, quo Nouitius eſt in Religione. Et ſicut dum Nouitius eſt in Religione, ex priuilegio abſolui poteſt à cenſuris, & diſpenſari cum illo in irregularitate: & ſi abſoluatur, vel cum ipſo diſpenſetur, & poſtea recedat à Religione, reincidit in eaſdem cenſuras, & irregularitates, vt patet ex noſtro Compendio Priuilegiorum, Tit. Abſolutio quoad fratres noſtræ Congregationis. §. 1. in ſcholio, verſ. Nec etiam obſtat, &c. Sic etiam, ſi dum eſt in Religione delinquat Nouitius, poteſt Prælatus Regularis de illo cognoſcere, ſi Nouitius perſeueret in Religione, ſi verò diſcedat, non, niſi inceperit de delicto cognoſcere, (vt dictum eſt ſupra in prima Concluſione, in ſecundo caſu:) Ergo cum nullo pacto pertineat ad Iudicem ſecularem de illo cognoſcere, nec ad Prælatum Regularem, ſequitur quod pertineat ad Epiſcopum ordinarium, ſub cuius iuriſdictione erat, antequam ingrederetur in Religionem. Quam concluſionem amplio primo procedere, dato, quod non eſſet licentiatus à Religione, ſed ipſe Nouitius diſceſſiſſet antequã Prælatus Regularis inciperet de delicto cognoſcere.

Amplio ſecundo procedere, dato, quod Prælatus Regularis inceperit de delicto cognoſcere antequam Nouitius diſcederet, ſi poſtea non vult vltra procedere.

Amplio tertio procedere, dato, quod ipſe Nouitius eſſet condemnatus à Prælato Regulari, dum recuſat pœnitentiæ ſatisfacere. Et ratio harum ampliationum eſt, quia expedit Reipublicæ, ne delicta remaneant impunita. l. Vulneratus. ff. ad legem Aquiliam. l. Sticum. §. Tamen ſi. ff. de Solut. & ibi glo. in verbo Canonicas ſanctiones, lit. K. & in c. 1. de Electione.

Tertia Concluſio. Si verò Nouitius erat laicus antequam ingrederetur Religionem, & poſt diſceſſum à Religione ad eũdem ſtatum laicalem ſe transtulerit, Iudex laicus poterit illum punire. Primo, quando eſſet licentiatus à Religione, & non eſ-

ſet

ſet punitus à Prælato Regulari de delicto in Religione commiſſo. Secundo, quando etſi non eſſet licentiatus à Religione, tamen ipſe Nouitius diſceſſiſſet, antequam Prælatus Regularis inciperet de delicto cognoſcere. Et ratio eſt, quia ad Prælatū Regularem non pertinet de illo cognoſcere per rationes allatas in præcedenti Concluſione, verſ. Nec etiam pertinet, &c. Nec ad Epiſcopum ordinarium, quia numquam fuit ſub eius iuriſdictione: Nec antequam ingrederetur Religionem, quia erat ſecularis; Nec dum erat in Religione, quia in illo tempore erat ſub poteſtate Prælati Regularis, qui erat exemptus à poteſtate Epiſcopi, vt ſupponimus: Nec poſt diſceſſum à Religione, quia redijt ad ſtatum ſecularem. Ergo pertinet ad Iudicem ſecularem, ſub cuius iuriſdictione erat antequam ingrederetur Religionem; & poſt diſceſſum ab illa, & per conſequens Iudex ſecularis poteſt, & debet illum punire, ne delicta remaneant impunita in damnum Reipublicæ.

Sed poſſet aliquis opponere, dicens, dum Nouitius deliquit, erat in ſtatu Eccleſiaſtico, & perſona Eccleſiaſtica. Ergo ad forum Eccleſiaſticum pertinet illum punire, quia ad cognoſcendum, cui foro quis ſubijciatur, inſpiciendum eſt delicti tempus & ſtatus, in quo delinquens reperiebatur: (& hæc eſt ratio Bonacinæ, & aliorum allata in principio præſentis quæſtionis) ſed forum Eccleſiaſticum Regularium non poteſt, vel non vult illum punire: (vt dictum eſt in ſecunda Concluſione, verſ. Nec pertinet, &c.) Ergo forum Eccleſiaſticum Clericorum ſæcularium ſuccedit in illius locum, & per conſequens ad Epiſcopum Ordinarium pertinet illum punire. Et confirmatur, quia eiecti à Religione, ſtatim ſubduntur ſub iuriſdictione Epiſcopi Ordinarij, vt patet ex Decreto Sacræ Congregationis Concilij de Regularibus Apoſtatis, & eiectis. Et confirmatur etiam ex Deciſione Conſilij Neapolitani allata in principio præſentis quæſtionis.

Sed reſpondeo, negando antecedens, & ſuas conſequentias;

tias ; Et ratio negationis antecedentis eſt, quia Nouitius licet geſtet habitum Regularem,& ſit inter Regulares, & Eccleſiaſticos,non tamen eſt Regularis, nec Eccleſiaſticus propriè, & perfectè,ſed largò modo,vt dictum eſt in tertio ſuppoſito. Nõ Regularis, quia non erat incorporatus Religioni per profeſſionem,& habitus ſolus non facit Monachum, vt probatum eſt ſupra in tertio ſuppoſito. Non Eccleſiaſticus, quia nullum habebat Ordinem,nec primam tonſuram,vt ſupponimus. Ergo ſuus ſtatus proprius erat ſecularis,ſicut erat ante ingreſſum in Religionem,licet ſuſpenſus pro illo tempore, quo erat in Nouitiatu,ob bonum commune Religionum; ne Iudices ſeculares moleſtarent illos, qui erant in via ad Religionem. Vnde reiecto antecedente, corruunt conſequentiæ ex illo deductæ.

Nec obſtat, ſi dicatur, quod ſi Nouitius manſiſſet in Religione poſt delictum commiſſum, poterat illum punire Prælatus Regularis, vt probatum eſt in prima Concluſione: Ergo Nouitius erat perſona Eccleſiaſtica ratione habitus, quem geſtabat,& per conſequens ad forum Eccleſiaſticum pertinet illum punire. Reſpondeo, negando conſequentias, & ratio negationis eſt, quia Nouitius non poteſt dici Eccleſiaſticus, nec Regularis,ex eo quod Prælatus Regularis poteſt illum punire in caſu prædicto; nec Prælatus illum punit,quia eſt Regularis, vel Eccleſiaſticus,quia verè non eſt talis, vt dictum eſt ſupra: Sed illum poteſt punire ex priuilegio ſibi conceſſo, ob bonum commune Religionis,pro illo tantum tempore, quo manet in Religione, & non vltra, quia ſic expediebat: Vnde non poteſt illum facultatem ſibi conceſſam ex particulari priuilegio, & ob bonum commune Religionis, pro illo tempore, quo ille Nouitius erat in via ad ſtatum Regularem,& Eccleſiaſticum, trahere ad tempus, quo ille Nouitius eſt extra Religionem, & in ſtatu ſeculari,quo erat ante ingreſſum in Religionem,& etiã tempore Nouitiatus, licet ſuſpenſus pro illo tempore Nouitiatus,fauore Religionis. Vnde cum probatum ſit, nullo modo

per-

pertinere ad Prælatum Regularem illum punire,ex eiſdem ra-tionibus, ſequitur nullo modo pertinere ad Epiſcopum, quia numquam fuit ſub poteſtate Epiſcopi: nec adeſt medium, per quod poſſit tranſire ſub poteſtate Epiſcopi. Et ad primam confirmationem de eiectis à Religione,facilis eſt reſponſio. Nam eiecti poſt emiſſam profeſſionem, ſunt verè Eccleſiaſtici per profeſſionem; & ideo dum non ſubduntur Prælatis Regularibus,Epiſcopus Ordinarius ſuccedit in eorum locum.

Sed Nouitij eiecti de Religione non ſunt Eccleſiaſtici, ſed merè ſeculares,vt erant ante ingreſſum in Religionem.

Ad ſecundam vero confirmationem dico, quod Deciſio Conſilij Neapolitani loquitur de delicto commiſſo à Clerico ſeculari,qui erat verus Eccleſiaſticus, & non à Nouitio Regulari,qui quamuis ſit improprius Eccleſiaſticus pro illo tempore,quo eſt in Religione,eſt tamen diuerſi fori ab illo Clericorum ſecularium,vt patet ex ſecundo ſuppoſito, & ex diuerſis non fit illatio. l. Papinianus exuli. ff. de Minoribus. Vnde reiectis contrarijs, remanet firma Concluſio ſuprapoſita, quam

Amplio primo habere locum etiam in caſu, quo Prælatus Regularis incepiſſet de delicto cognoſcere, ſi poſtea non vellet vltra procedere.

Amplio ſecundo habere locum etiam quando Nouitius eſſet condemnatus à Prælato Regulari,ſed ipſe recuſaret pœnitentiæ ſatisfacere.Et ratio eſt, quia delicta non debent remanere impunita,vt probatum eſt ſupra in fine ſecundæ Concluſionis.

Quam Concluſionem ita ampliatam, limito non habere locum,quando Nouitius,tempore Nouitiatus, & ante delictũ commiſſum cum licentia Epiſcopi eſſet prima tonſura initiatus,quia in hoc caſu eſſet puniendus ab Epiſcopo, tamquam perſona Eccleſiaſtica perfecta tempore delicti; Non quia erat Nouitius tempore delicti,ſed quia erat perfectus Clericus ratio-

ne primæ tonſuræ. Dixi ante delictum commiſſum, quia ſi eſſet initiatus prima tonſura poſt delictum commiſſum, præſumeretur eſſe initiatus in fraudem; & in hoc caſu procederet Concluſio ſuprapoſita. Quæ Concluſio ſic ampliata, & limitata, non ſolum eſt probabilior opinione Bonacinæ, & aliorũ in hac particulari Concluſione ex rationibus intrinſecis, vt demonſtratum eſt, ſed etiã ex rationibus extrinſecis, nempe ex qualitate, & multitudine Doctorum, qui illam tenent, vt Molina in Tom.4.de Iuſt.& iur. Tract. 3. Diſp.49. num.24. Lamberteng.de Contr.Con.Glo.2.quæſ.19.num.27.in fine, quem refert, & ſequitur Ambroſinus de Immun. & libert. Eccleſiæ, cap.22. num.11. Bobadill. quem refert, & ſequitur Sanchez in Præceptis Decalogi Tomo 2.lib.6. cap.10. num.14. Bartolomæus de Vecchis in ſua Praxi Nouitiorum, & Ioannes de Heuia, quos refert P.Diana in vol.3.Reſolut.Moralium.Tract. 1.de Immunitate Eccleſiaſtica, Reſol.38.Farinacius in ſua Practica Crim.Tom.1.Tit.de Inquiſitione, in tertia editione, qu. 8.num.46.Ampliat.16. qui omnes loquuntur de Nouitijs, & faciunt Opinionem communem, à qua in iudicando, & conſulendo, graue eſſet recedere, vt docet Alex.conſ.95. Viſis proceſſibus, num.5.verb.A qua communi, lib.2.quem refert, & ſequitur Tuſcus lit.O.concl.150.num.12.Panorm.in cap.final.de Secundis nuptijs, num.4.& Bartolus in l.vltima de pen. iud.qui male iud. dicit, quod pro lege ſeruanda eſt, quem refert, & ſequitur Mantica de Coniect.vltim.volunt. lib.6. tit.6. num.11.& colligitur ex Clem.1.§.Nos igitur, de Summa Trinit.& fide Cathol.ibi, & Doctorum communem ſententiam. Et ratio eſt, quia integrum eſt iudicium, quod plurimorum ſententijs comprobatur.cap.Prudentiam, in fine principij, de Offic.& poteſtat.Iudic.delegat. & Clement.1. §. Quod autem de Sentent. excommunicat. Mantica vbi ſupra libr. 8. tit. 12. num.47.

Verum ſicut expedit iura iuribus concordare.cap.Cum ex-

pediat, de Elect. in 6. ita ſimiliter Doctorum opiniones ſunt potius diſtinctione concordandæ, quam totaliter reprobandæ.l.Duo.ff.de Acquir.hæredit. l.Adeo,ff.de Iuriſdict. omniũ Iud.Portius in Inſtit.tit,de Rer.diuiſ.§.Cum ex aliena materia, num.2.Vnde opinio Bonacinæ,& aliorum habet locum in caſu ſecundæ Concluſionis, & ſupradictæ limitationis.

Quarta Concluſio. Sed quid dicendum, ſi Nouitius delinquens exeat à Religione, in qua deliquit, & immediatè tranſeat in aliam Religionem, quis poſſit, & debeat de delicto cognoſcere; ſi Prælatus Religionis, in qua deliquit non incepit de delicto cognoſcere antequam exiret?

Reſpondeo, quod Prælatus Religionis, in qua deliquit, & ex qua exiuit, non poteſt amplius de illo cognoſcere, cum expirauerit eius poteſtas, (per ſupradicta in primo ſuppoſito & ſecunda Concluſione, verſ.Nec etiam pertinet ad Prælatos Regulares,&c.) Nec Prælatus Religionis, in quã tranſijt, quia poteſtas ſua, non ſe extendit ad delicta commiſſa extra ſuam Religionem: Nec ad Epiſcopum Ordinarium, quia numquam fuit ſub iuriſdictione ſua, nec ad præſens eſt: Ergo Iudex ſecularis poteſt, & debet de illo cognoſcere; Quia dum ante ingreſſum in Religionem erat ſecularis, & ſub iurisdictione Iudicis ſæcularis, exeundo ab illa reddit in eundem ſtatum. Nec obſtat, quod immediatè tranſierit ad aliam Religionem, quia Prçlati ſecundæ Religionis non poſſunt de illo delicto cognoſcere, vt dictum eſt ſupra.

Præterea, Prælati ſecundæ Religionis non poterant illum in Religionem admittere, quia erat delinquens, & per conſequens inhabilis ad habitum Regularem ſuſcipiendum, & irrita acceptatio ad habitum, vel ad profeſſionem; vt patet ex Bulla Sixti V. quç incipit, Cum de omnibus Eccleſiaſticis,&c.§.Cçterum, verſ.Omnes autẽ,&c. cum ſequenti, & ſi qui eorũ, &c.

Quinta Concluſio. Si Nouitius, qui deliquit erat ſecularis ante ingreſſum in Religionem, & erat in Religione non exempta

pta à iuriſdictione Epiſcopi Ordinarij, ſi perſeuerat in Religione poſt delictum commiſſum, ad Epiſcopum Ordinarium pertinet de delicto cognoſcere, & non ad Prælatum Regularem: Et ſimiliter ſi antequam Nouitius diſcedat à Religione, Epiſcopus inceperit de delicto cognoſcere; ſecus verò ſi Nouitius diſcedat à Religione, antequam Epiſcopus incipiat de delicto cognoſcere, & redeat ad ſtatum ſecularem, vt erat prius ante ingreſſum in Religionem.

Quia cum ſit purus ſecularis, non ad Epiſcopum, ſed ad Iudicem ſecularem pertinet illum de delicto commiſſo in Nouitiatu punire; Quia iuriſdictio Iudicis ſecularis in Nouitium tempore Nouitiatus non erat extincta, ſed ſuſpenſa, pro illo tempore tantum. Vnde diſcedendo à Religione, & redeundo ad ſtatum ſæcularem, habetur, ac ſi numquam in Religione fuiſſet: (contra ſupradicta videtur obſtare oppoſitio facta ſupra, ver. Sed poſſet aliquis opponere, dicens, &c. ſed ibidem patet reſponſio.) Et Nouitius dum erat in Religione, erat ſub iuriſdictione Epiſcopi, ratione habitus Regularis, eodem pacto, quo ſunt Nouitij ſub iuriſdictione Prælatorum Regulariũ in Religione exempta, qui habent iuriſdictionem in Nouitios ex Priuilegio conceſſo Religionibus, ob bonum commune Religionum, & pro illo tempore Nouitiatus tantum, dum ſunt in via ad Religionem, (ideſt ad profeſſionem, quæ facit Religioſos) quia non expedit vt Iudices ſæculares moleſtent illos; ſed relicto habitu Regulari, ſicut ſunt liberi à iuſdictione Prelatorum Regularium exẽptorum, ita etiam ſunt liberi à iuriſdictione Epiſcopi, ac ſi numquam ſub eius iuriſdictione fuiſſent; Et licet iuriſdictio Epiſcopi in Religioſos non exemptos ſit ordinaria, in Nouitios verò non eſt ordinaria, (ſed extraordinaria, ex priuilegio conceſſo Religionibus ob bonum commune Religionum pro illo tentum tempore Nouitiatus) quia Nouitij non ſunt ſub iuriſdictione Epiſcopi ratione Ordinis, vel primæ tonſuræ, quia ſupponimus non habere: Nec ratio-

ne Religionis,quia non ſunt incorporati in Religione per profeſſionem:Ergo ex priuilegio pro illo tantum tempore. Quo ſublato,in illo tempore eſſent ſub iuriſdictione Iudicis ſecularis, quia habitus ſolus non facit monachum, nec perſonam Eccleſiaſticam.cap.Ex parte, de Regularibus.Vnde cum illa iuriſdictio Iudicis ſecularis non ſit extincta tempore nouitiatus, ſed tantum ſuſpenſa ex dicto Priuilegio Religionibus cõceſſo, ſequitur, quod ceſſante Priuilegio per exitum Nouitij à Religione,ceſſet etiam iuriſdictio Epiſcopi,& ſuccedat iuriſdictio Iudicis ſecularis.Et hæc ſatis ſint dicta de præſenti quæſtione.

Secundo quæritur. In Congregatione noſtra Clericorum Regularium adeſt Decretum Capituli Generalis, tenoris ſequentis: *Nemo noſtrum ſua peccata extero Sacerdoti confiteri queat,ſed ijs tantummodo noſtratibus Confeſſarijs, qui à Præpoſito Domus fuerint deſignati, non obſtante quocumque Priuilegio,cui ex nunc totius Religionis nomine renunciamus ac cedimus*. Quæritur nunc, vtrum ſupradictum Decretum comprehendat Prælatos dictæ Religionis?

Ego in meis Commentarijs ad Conſtitutiones Clericorum Regularium,par.1.cap.9.lit.C.§.1.in fine fol.114. dixi probabiliorem opinionem eſſe,vt comprehendantur.

Sed contra ſupradictam noſtram opinionem inſurgit P. Diana in 3. Volum. ſuarum moralium reſolutionum Tract. 2. de Dubijs Regularium, Reſol. 1. tribus rationibus; Quarum Prima eſt,quod priuilegium, quod habent Prælati Regulares ſibi eligendi Confeſſarium eſt in corpore Iuris: Sed Priuilegia inſerta in corpore Iuris non derogantur, neque comprehenduntur in clauſulis generalibus,non obſtante,&c.niſi de illis efficiatur expreſſa mentio:Ergo à fortiori dictum Priuilegium noſtrorum præpoſitorum, non erit comprehenſum in illa clauſula noſtri Decreti.

Secunda ratio eſt,Quod cum ego ſupponam,Patres, qui in illo

illo Capitulo interfuerunt,renunciaſſe dicto Priuilegio, ipſe negat, aſſerens omnes Patres, qui in dicto Capitulo interfuerunt,negaſſe,quia in dicto Capitulo numquam tractatum fuit de renũciatione dicti Priuilegij: ſed renũciatio Priuilegij ſupponit neceſſario renunciantis voluntatem, & voluntas non fertur in rem non cognitam. Ergo dicto Priuilegio in dicto Decreto renunciatum fuiſſe, minimè dicendum eſt. Negat etiam noſtros Superiores quando eliguntur, tacitè renunciare dicto Priuilegio.

Tertia ratio eſt,Capitulum noſtrum Generale non poſſe derogare dicto Priuilegio Superioribus conceſſo, niſi à Papa fuerit confirmatum.

Vnde ex ſupradictis rationibus concludit, Poſſe noſtros Prælatos, non obſtante dicto Decreto, ſibi eligere in Confeſſarios quemcumque Sacerdotem, etiam ab Epiſcopo non approbatum,intra,& extra Religionem.

Sed ad prædicta reſpondeo,& ad Primum dico, verum eſſe quod in clauſulis generalibus derogatorijs, non comprehenduntur priuilegia inſerta in corpore iuris: ſed non ſequitur ex hoc,quod in renunciationibus non comprehendantur: Nam ſunt diuerſa derogare,& renunciare;& ex diuerſis non fit illatio,cap. Ad audientiam de Decimis. l.Papinianus exuli, ff. de Minoribus.

Quod autem ſint diuerſa, probatur,nam clauſula derogatoria priuat iure alieno contra voluntatem poſſidentis, & ideo ſtrictè interpretari debet.

Renunciatio verò, eſt iuris proprij ſpontanea refutatio, l. Deſtitiſſe.ff.de Iudic.l.Si filius.ff.de Minoribus. Baldus in Rubrica, & l. 1. C.de Pactis, & ideo interpretanda eſt, vt verba ſonant,cum ſit ſpontanea: ſed in dicto Decreto, renunciatio Priuilegij eſt ſpontè facta, & per dictionem *quocumque*, quæ eſt collectiua, habens effectum importantem vniuerſitatem, prout dictio omnia,& ſingula, vt docet Anton. de Butr. conſ.

19.

19. num. 3. verſ. In priuilegio autem, quem refert, & ſequitur Tuſcus litter. D. concl. 252. num. 1. Ergo comprehendit hoc priuilegium, quamuis ſit in corpore iuris inſertum.

Ad ſecundum dico, Quod licet in dicto Capitulo non fuerit tractatum de hoc Priuilegio in ſpecie: at fuit tractatum de quocunque Priuilegio, vt patet ex Decreto: & ipſi Prælati erant in dicto Capitulo, & ſciebant habere hoc Priuilegium, & non exceperunt: Ergo voluntariè, & expreſsè renunciauerunt; nam qui loqui poteſt, & tacet, affirmare videtur, etiam in ſuum præiudicium, vt docet Panorm. in cap. Cæterum, de Iudic. num. 10. & 11. & in cap. Nonne, de Præſumpt. & ibi gloſ. verbo Tacendo; & iuri ſuo quilibet renunciare poteſt. l. Si quis in conſcribendo. C. de Pactis, vbi Iaſ. in 7. Notab. Tuſcus lit. R. concl. 170. num. 18.

Præterea ratio, quæ mouit Capitulum Generale ad id ſtatuēdum, & renunciandum priuilegijs, multo magis procedit in Prælatis, quam in ſubditis: Ergo voluit omnes comprehendere etiam Prælatos; & ideo appoſita fuit in Decreto illa dictio, *nemo*, quæ eſt vniuerſalis negatiua, vt docet Abbas in conſ. 3. Nitar, in fine. libr. 2. & Bartol. conſ. 47. quos refert, & ſequitur Tuſcus lit. D. concl. 316. num. 1. & 2. & alia dictio, *quocumq; priuilegio*, quæ eſt collectiua, & importat vniuerſitatem, vt dictum eſt ſupra.

Et ſic decebat, vt legem, quam alijs imponebant, ipſi etiam obſeruarent. Vnde in cap. Iuſtum, 9. Diſtinct. habentur hæc verba, Iuſtum eſt Principem legibus obtemperare ſuis. Tunc enim iura ſua ab omnibus cuſtodienda exiſtimet, quando & ipſe illis reuerentiam præbet. Iuſta eſt enim vocis eorum auctoritas, ſi quod populis prohibent, ſibi licere non patiantur.

Ad tertium dico, quod eſt differentia inter derogare, & renunciare: Et licet Capitulum Generale non poſſit ſuis legibus derogare Canonibus, poteſt tamen vnuſquiſque de Capitulo, priuilegio in corpore iuris, in ſui fauorem inſerto renunciare,

vt

vt dictum eſt ſupra: ſed in hoc Decreto renunciauerunt, & ceſſerunt huic priuilegio, per dictionem, *quocumuqe*, quæ eſt collectiua, & comprehendit omnia, & ſingula, non autem derogauerunt illud: Ergo non indiget confirmatione Summi Pontificis.

Vnde ſublatis fundamentis, ruit ſimiliter eius Concluſio; Et opinio mea non eſt deſtituta probabilibus rationibus.

Tertio Quæritur, Vtrum, ſtante Decreto noſtræ Congregationis, enarrato in principio præcedentis quæſtionis, quo prohibetur, vt nemo noſtrum ſua peccata extero Sacerdoti confiteatur, non obſtante quocumque priuilegio, cui nomine totius Religionis renunciatum fuit, poſſint Præpoſiti locales noſtræ Congregationis licentiam tribuere vni ex noſtris ſibi ſubdito, vt confiteri poſſit Confeſſario extra Religionem noſtram?

Ego in meis Commentarijs ad Conſtitutiones Clericorum Regularium par. 1. cap. 9. lit. C. §. 2. fol. 114. dico, quod non, abſque neceſſitate; & reddo rationem, quia Capitulum Generale potuit hoc prohibere, & de facto prohibuit dicto Decreto.

Contrarium vero ſentit P. Diana in Volum. 3. ſuarum Reſolutionum moralium, Tract. 2. de Dubijs Regularium, Reſolut. 2. à verſ. Sed difficultas eſt, &c. & probat ſuam opinionem,

Primo, quia in dicto Decreto renunciatum eſt tantum Priuilegijs, vt Bullæ Cruciatæ, vel alio indulto eligendi quemcumque Confeſſarium, inſcio Superiore: Ergo non debet trahi, neque extendi ad licentias, quas ſubditi obtinent à ſuis Prelatis, quibus de iure communi, tamquam Ordinarijs competit, & poſſunt hanc facultatem præbere.

Secundo, Quia ſi Capitulum Generale voluiſſet dictam poteſtatem Præpoſitis tollere, aut limitare, ſpecificè expreſſiſſet, ſicut fecerunt Patres Dominicani, qui prohibuerunt Prioribus facultatem concedendi ſibi ſubditis licentiam confitendi

Sa-

Sacerdotibus alterius Religionis: ſed non expreſſit: Ergo ſignum eſt non voluiſſe extendere dictam prohibitionem,& renunciationem ad licentias Præpoſitorum, & tollere dictam facultatem.

Sed ſupradictæ obiectiones non obſtant, Et ad primam Nego aſſumptum,& conſequentiam; Et ratio negationis eſt, quia licentia ſui Prælati eſt Priuilegium, & indultum, & venit ſub nomine priuilegij: Ergo renunciando cuicumque Priuilegio,intelligitur etiam renunciata facultas dandi dictam licentiam; Nam dictio, (quocumque priuilegio) quæ eſt in dicto Decreto,eſt collectiua habens effectum importantem vniuerſitatem,prout dictio,omnia,& ſingula,vt probatum eſt in præcedenti quæſt.verſ.Quod autem,&c.

Ad ſecundam,Nego maiorem,Et ratio negationis eſt, quia eadem eſt virtus taciti,& expreſſi,l. Cum quid.ff.Si cert.petatur,& ibi communiter Doctores,& l.3.ff.de Teſtam. Sed prohibendo, vt nemo noſtrum poſſit confiteri extero Sacerdoti, tacitè prohibuit Prælatis noſtræ Religionis concedere talem licentiam.Nam ſicut conceſſo vno, conceſſa cenſentur omnia ſine quibus conceſſum haberi non poteſt. cap. Præterea de Officio Deleg. l.Ad rem mobilem.& l.Ad legatum.ff. de Procuratoribus.Ita negato vno, intelliguntur negata omnia, ſinè quibus negatum non haberet effectum. Ergo habet eamdem vim,ac ſi expreſſiſſet.

Vnde reiectis contrarijs, remanet firma mea opinio; quam comprobo,

Primo, Quia dictum Decretum comprehendit etiam Prælatos ſuæ Religionis,& etiam Generalem ipſum, (illa dictione, *nemo*,quæ eſt vniuerſalis negatiua, vt probatum eſt in præcedenti quæſtione,verſ. Præterea, &c.) Quia in illa generalitate renunciationis,intelligitur etiam renunciaſſe priuilegio, quod habent de iure eligendi Confeſſarium, vt probatum eſt in præcedenti quæſtione. Ergo dicendum eſt renunciaſſe etiam

huic

huic priuilegio dandi dictam licentiam,quia aliàs non eſſet bene prouiſum: Et Capitulum Generale expreſsè renunciauit, renunciando cuicumque priuilegio.

Secundo.Hoc Decretum eſt ſtatutum à Capitulo Generali, apud quod eſt plena poteſtas condendi leges, vt patet ex Procemio noſtrarum Conſtitutionum: ſed inferior regulariter non poteſt diſpenſare in lege ſui Superioris, vt patet ex c. Inferior.21.diſt.& Clem.Ne Romani,de Elect.& l.2. C. de legibus.Ergo Prælati noſtræ Religionis, qui ſunt inferiores Capitulo Generali,non poſſunt talem licentiam tribuere.

Tertio. Abſurdum eſſet dicere,voluiſſe Capitulum Generale prohibere ſuis ſubditis, vt non confiterentur ſua peccata exteris Sacerdotibus de licentia ſummi Pontificis, & de licentia ſui Prælati Religioſi poſſent confiteri: & quod renunciaſſent Priuilegijs Summorum Pontificum, & non Priuilegijs ſuorum Prælatorum: Sed argumentum ab abſurdo vitando in iure eſt validiſſimum.cap.in geneſi,de Electione,cap.Solitę, de Maior. & obed. Ergo dicendum eſt renunciaſſe omnibus Priuilegijs,& facultatibus, non ſolum à Summis Pontificibus conceſſis ſuis ſubditis, ſed etiam ſuæ Religionis Prælatis; Et hoc eſt,quod voluit innuere Capitulum Generale illis verbis, *Non obſtante quocumque priuilegio,cui nomine totius Religionis renunciamus,& cedimus.*

Quarto Quæritur,Quando Regulares ex licentia, vel priuilegio confitentur extra Ordinem: Vtrum teneantur eligere Confeſſarium ab Ordinario approbatum?

Ego in Compendio Priuilegiorum Clericorum Regulariũ Mutinæ impreſſum anno 1610. Tit. Abſolutio quoad fratres. §.2. in ſcholio, teneo Confeſſarium electum debere eſſe approbatum ab Ordinario.

Oppoſitum tenet P.Diana in 3.Volum.ſuarum Moralium reſolutionum,tract.2.de Dubijs Regularium, Reſol. 2.in fine, verſ.Notandum eſt,&c.dicens ſufficere eligere idoneum, hoc

eſt non ſuſpenſum, vel excommunicatum; & probat ſuam opinionem authoritate Io. de la Crux de Statu Relig. lib. 2. cap. 6. dub. 11. concl. 1. in fine.

Ego pro defenſione meæ opinionis dico, quod poſt Concilium Tridentinum vſus, & conſuetudo per longum tempus approbata, obtinuit, illum Sacerdotem dici idoneum Confeſſarium, prouidum, & diſcretum, qui eſt à ſuo Ordinario approbatus.

Vnde non ſufficit non eſſe ſuſpenſum, vel excommunicatū ſolum, ſed requiritur etiam approbatio ſui Ordinarij ad Confeſſiones audiendas, ſiue Sacerdos ſit ſecularis, ſiue Regularis; ſiue audiat Confeſſiones ſecularium, ſiue Regularium.

Probatur dicta Conſuetudo, Primo, Quia Ordinarij, tam ſeculares, quam Regulares, non permittunt Sacerdotes ſuos ſubditos, ab eis non approbatos, ad Confeſſiones audiendas, audire Confeſſiones tam ſecularium, quam Regularium. Nec ipſi Sacerdotes non approbati ab Ordinarijs ſuis volunt audire.

Secundo, Quando per Iubilea conceditur facultas Regularibus eligendi ſibi idoneum Confeſſarium, ſolet apponi clauſula, dummodo ſit approbatus ab Ordinario ad Confeſſiones audiendas.

Tertio, Quando Sacra Pœnitentiaria Summi Pontificis ſolet concedere dictam licentiam alicui Regulari, ſemper ponit clauſulam illam, Dummodo Confeſſarius ſit ab Ordinario approbatus ad Confeſſiones audiendas.

Quarto, Ex declaratione Sacræ Congregationis Concilij, quam refert Stephanus Quaranta in Summa Bullarij, verbo Archiepiſcopi auctoritas num. 7. & ibi in ſcholio lit. A. Epiſcopi vigore priuilegij, de quo in cap. fin. de Pœnit. & remiſſ. non poſſunt ſibi eligere Sacerdotem non ſubditum, qui à proprio Ordinario non ſit ad formam Concilij Trid. admiſſus ad Confeſſiones audiendas, & docent multi Doctores, quos refert

Dia-

Diana vbi ſupra, Reſolut.3.verſ.Secunda ſententia,&c. Ergo multo minus Religioſus, qui habet facultatem eligendi ſibi Confeſſarium,poterit eligere Sacerdotem, qui non ſit admiſſus ad Confeſſiones audiendas, iuxta formam Concilij Tridentini.

Quinto, Vbi eſt eadem ratio, eadem debet eſſe iuris diſpoſitio: cap.Dudum,il ſecondo,de Elect. cap.Cum dilecta, de Confirm.vtil. l.Illud.ff. Ad l. Aquiliam: ſed eadem ratio militat in auditione confeſſionum Sacerdotum ſæcularium, & Epiſcoporum,ac Religioſorum: Ergo eadem diſpoſitio Concilij Trident.ſeruari debet circa Sacerdotes,qui audiunt confeſſiones Regularium,quæ ſeruatur circa illos, qui audiunt cõfeſſiones Sacerdotum ſecularium,& Epiſcoporum. Probatur minor, nam Sacerdotes ſeculares, & Epiſcopi, qui ſunt in ſtatu perfectionis, non ſunt æſtimandi peioris conſcientiæ,quam Regulares.

Nec obſtat Concilium Tridentinum in ſeſſ. 23.cap. 15. de Reform.dum dicit,nullum Sacerdotem, etiam Regularem, poſſe confeſſiones ſeculariũ audire,nec ad id idoneum reputari;Nam per illam particulam,*ſecularium*,noluit Concilium determinare dictum ius non habere locum reſpectu Regularium;ita quod Regulares poſſent cum licentia ſuorum Superiorum confiteri cuicumque Sacerdoti,ſiue ſeculari, ſiue Regulari,etiam non approbato à ſuo Ordinario,vt aliqui putant: ſed dixit ſecularium, ne putarent dictos Confeſſarios ſic approbatos ab eorum Ordinarijs poſſe audire confeſſiones Regularium abſque facultate ſuorum Superiorum.

Scio opinionem contrariam,quam amplectitur Diana, eſſe multorum Doctorum, tamen mea opinio in præſenti tempore eſt magis amplectenda. Primo, quia eſt magis conformis praxi Curiæ Romanæ, vt patet ex 2. 3.& 4.ratione.

Secundo eſt magis conformis voluntati Ordinariorum,tam ſecularium,quam Regularium,vt dictum eſt in 1.ratione.

Tertio eſt magis conformis doctrinæ Concilij Tridentini, quæ eſt, vt illi Sacerdotes reputentur idonei ad Confeſſiones audiendas,qui ſunt ab eorum Ordinarijs approbati,vt dictum eſt in 5. ratione.

Quarto, eſt magis conformis conſuetudini præſentis temporis,vt dictum eſt ſupra in principio.

Quinto eſt magis tuta,& ideo ante factum, eſt potius conſulenda,& amplectenda,quam contraria.

Quinto Quæritur,Ponamus,quod aliquis Præpoſitus localis noſtræ Religionis, cui non deficit commoditas confitendi Confeſſarijs noſtræ Religionis,vellet confiteri ſimplici Sacerti noſtræ Religionis, qui non eſſet admiſſus ad confeſſiones audiendas à noſtro P.Generali, cui reſeruata eſt facultas concedendi talem licentiam:Vtrum poſſit dictus Sacerdos dictum Præpoſitum abſoluere?

Ego in meis Commentarijs ad Conſtitutiones Clericorum Regularium parte 1.cap.5.lit.C.verſ. Sed hic dubitari poſſet. fol.77.dixi duas poſſe eſſe opiniones ambas probabiles,vnam negatiuam, & alteram affirmatiuam: Tamen negatiuam dixi eſſe magis amplectendam; & inter alias rationes,quas ibi attuli ad id ſuadendum, vna eſt, quia eſt tutior, & in adminiſtrandis,& recipiendis Sacramentis neceſſarijs ad ſalutem, ſemper tutiores opiniones amplecti debemus. Probo alijs rationibus dictam opinionem negatiuam, quæ videri poſſunt in dictis Commentarijs; & confirmatur ex omnibus rationibus allatis ad probandam pręcedentem quæſtionem,quæ eſt fere eadem cum iſta.

Contra meam opinionem tenet P.Diana in volum.3.Reſolutionum moralium,Tract.2. de Dubijs Regularium, reſol. 3. verſ.Ex his infero contra Peregrinum,&c. Dicens,[quod non ſolum Prælati Regulares,ſed etiam quilibet Regularis habens licentiam eligendi Confeſſarium,poſſunt eligere in ſibi Confeſſarium quemlibet Sacerdotem,etiam ſi ab Epiſcopo non fue-

fuerit approbatus, & opinionem meam non eſſe probabilem. Quam ſententiam infert ex eo, quia Prȩlati Regulares poſſunt eligere quemlibet Sacerdotem in ſibi Confeſſarium, vt patet ex cap. Ne pro dilatione, de Pœnit. & remiſſ. Et certum eſſe Conc. Trident. nihil innouaſſe circa Prælatos Regulares, & quoſlibet Regulares. Et ita docere communiter Doctores.

Mea opinio cum ſit ſatis probata ex omnibus rationibus allatis in præcedenti quæſtione, non indiget noua probatione ad demonſtrandum, quod ſit probabilis; ſed tantum ſufficit reſpondere rationibus allatis à P. Diana, ex quibus infert ſententiam contra opinionem meam.

Et ad tex. in cap. Ne pro dilatione, extra de Pœnit. & rem. Reſpondeo, quod ceſſante cauſa priuilegij, ceſſat priuilegium. l. Athletæ. §. 1. ibi, quoad in præſidatu ſunt, & l. Geometrȩ, ibi, donec curam gerunt. & l. idem Vlpianus. ff. de Excuſat. tutor. l. Titio Seio. §. Vſuras. ff. de legat. 2. l. Generaliter. C. de Epiſcopis, & Cler. Card. Mantica de Coniect. vlt. volunt. lib. 6. tit. 1. num. 34. & Doctores communiter, quos refert Tiraquellus in ſuo Tract. de Cauſa ceſſant. Sed ceſſat cauſa priuilegij in prȩſenti tempore, in quo eſt abundantia Confeſſariorum, & ceſſat in communi. Ergo ceſſat hoc priuilegium.

Sed dato, & non conceſſo, quod non ceſſet, adhuc non poteſt Præpoſitus ſupradictus eligere in ſibi Confeſſarium Sacerdotem non approbatum à ſuo Ordinario, nec Sacerdos non approbatus poteſt illum abſoluere, quia cum idem Priuilegium ſit conceſſum Epiſcopis, & Prælatis Regularibus, & ab eodem Pontifice, & in eodem textu, ſequitur, quod declaratio facta à Summo Pontifice Gregorio XIII. Epiſcopis, quam refert P. Diana vbi ſupra, verſ. Secunda ſententia, & à Sacra Congregatione Eminentiſſimorum Cardinalium ſuper Concilio Tridentino, quam refert Quaranta in ſua Summa Bullarij verbo Archiepiſcopi auctoritas, num. 7. & ibi in ſcholio lit. A. comprehendat etiam Prælatos Regulares. (Declaratio eſt te-

no-

noris ſequentis: *Epiſcopi vigore Priuilegij, de quo in cap. fin. de Pœnit. & remiſſ. non poſſunt ſibi eligere Sacerdotem non ſubditum, qui à proprio Ordinario non ſit ad formam Concilij Tridentini admiſſus ad Confeſſiones audiendas.)*

Probatur ſequela, quia Summus Pontifex vel voluit declarare illum textum cap. fin. de Pœnit. & remiſſ. amplius non habere locum, quia ceſſauit cauſa Priuilegij in communi; Vel voluit declarare Cōcilium Tridentinum; nempe idoneitatem Confeſſarij præſcriptam à Conc. Trident. extendi non ſolum ad Sacerdotes, ſed etiam ad Epiſcopos: Si voluit declarare tex. eadem declaratio facta Epiſcopis, comprehendit etiam Prælatos Regulares ex identitate rationis: Si voluit declarare Concilium Tridentinum, ſimiliter comprehendit non ſolum Prælatos Regulares, ſed etiam omnes Regulares ex identitate rationis, vt dictum eſt in præcedenti Quæſtione, in quinta ratione. Et ad id quod dicit P. Diana, certum eſſe Concilium Tridentinum nihil innouaſſe circa Prælatos Regulares.

Reſpondeo, vel iſta certitudo habetur ex declaratione aliqua Summi Pontificis, vel Eminentiſſimorum Cardinalium Congregationis Concilij, vel ex interpretatione Doctorum. Si ex primis, iſta declaratio non apparet. Si ex ſecundis, dico, quod opinio Doctorum facit rem probabilem, ſed non certam; Et ego in meis Comment. non dixi non eſſe probabilem opinionem affirmatiuam, ſed ambas eſſe probabiles: & meam opinionem eſſe amplectendam, non ſolum propter probabilitatem, ſed etiam propter ſecuritatem, & maxime ante factum. Nam ante factum, dum poſſum confiteri Confeſſario approbato ab Ordinario, tutius eſt illi confiteri, quam ſimplici Sacerdoti; quia confeſſio facta Sacerdoti approbato ſecundum formam Concilij Trident. eſt certa quoad validitatem ex parte Confeſſarij: At facta ſimplici Sacerdoti non approbato, nõ eſt ita certa, ſicut prima. Quia prima habet certitudinem ex determinatione Concilij; & ſecunda habet certitudinem mora-

ra-

ralem, ex opinione Doctorum. Præterea, Concilium dum non eſt declaratum à Summo Pontifice, vel à Sacra Congregatione, poteſt habere diuerſam interpretationem ab illa facta à Doctoribus, quos affert Diana, vt patet ex præcedenti quæſtione, verſ. Nec obſtat Conc. Trident. &c. Et lex dum non eſt declarata ab habente poteſtatem, magis declaratur à conſuetudine: nam conſuetudo eſt optima legum interpres. c. Cum dilectus, extra de Conſuet. l. Si de interpretatione. ff. de legibus. Panorm. in cap. 1. num. 8. de Decim. Menoch. de Arbitr. Iudic. Centuria 4. Caſu 375. nu. 10. & illa potius eſt attendẽda, quam declaratio facta à Doctoribus: Sed in caſu noſtro conſuetudo præſens declarauit illũ eſſe idoneum, prouidũ, diſcretum, & legitimum Confeſſarium, qui eſt approbatus à ſuo Ordinario, iuxta formam Conc. Trident. vt probatum eſt in præcedenti quæſtione: Ergo iſta declaratio eſt attendenda, quæ eſt iuxta ſtylum Romanæ Curiæ; & per conſequens mea opinio eſt magis amplectenda, quam contraria. Salua ſemper determinatione Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, cui hæc, & omnia mea ſcripta ſubijcio.

Sexto Quæritur, Vtrum in miniſtrandis, & recipiendis Sacramentis neceſſarijs ad ſalutem, tutiores opiniones amplecti debeamus, quando id poſſumus abſque detrimento?

Ego in meis Commentarijs ad Conſtitutiones Clericorum Regularium part. 1. cap. 5. lit. C. verſ. Quarto, quia eſt tutior, &c. fol. 80. teneo partem affirmatiuam, loquens ibi de Sacramento Pœnitentiæ, & de iuriſdictione Confeſſarij, quæ eſt neceſſaria ad validitatem dicti Sacramenti; & reddo rationem, Quia obligatio charitatis, qua tenemur prouidere proximo de remedio, poſtulat, vt prouideamus remedia illa, quæ ſunt abſque periculo, quando id poſſumus abſque detrimento; vnde qui minus tutam opinionem amplecteretur, non ſatisfaceret huic obligationi; & confirmo, quia ſic eſt vſus vniuerſalis Eccleſiæ.

P. no-

P.noſter Diana in volum.3.Reſolut.moral. Tract.2. de Dubijs Regularium, Reſol.3. verſ.Et dato, & non conceſſo, &c. cum verſ.ſequenti,dicit,dictam doctrinam non eſſe admittendam in præſenti caſu; nam ſi eſſet vera ita abſolutè prolata, mundus ſcrupulis implicaretur,& væ væ Confeſſarijs, & pœnitentibus, & proinde ſibi diſplicere, me id aſſeruiſſe. Reddit rationem,quod mea doctrina non ſit admittenda.

Primo,Quia, quando ſunt opiniones probabiles circa iuriſdictionem Saderdotis ad confeſſiones audiendas, poteſt ſacramentum miniſtrari ſecundum opinionem probabilem, relicta probabiliori: ſecus autem ſi opiniones verſentur circa materiam,& formam Sacramenti; nam tunc tutior opinio eſt ſequenda;& in hoc caſu loquuntur Doctores,quos cito.

Secundo,quia probabilis opinio confert Sacerdoti iuriſdictionem. Nam non ſolum error communis, ſed etiam probabilis Doctorum opinio efficit, vt Eccleſia det iuriſdictionem, etiam ſi opinio illa ſit falſa; Nam Eccleſia ſupplet defectum, ſi forte ſubſit;ita Leſſius lib.2.de Iuſtit. cap.29. dub.8. nu.68. & Sanchez de Matrimon.tom.1.lib.3.diſp.22.num.65. & alij; & ſic nulli periculo pœnitens ſe exponit.

Tertio,quia ſemper pœnitens ſe accuſat de aliquo veniali, & cum ſimplex Sacerdos ſuper venialia iuriſdictionem habeat,abſoluens propter opinionem probabilem, ſemper gratiam cauſabit,& ſic pœnitenti nulla irrogabitur iniuria.

Addo quartam rationem, Opinio probabilis,quamuis non ſit certa, poteſt eſſe vera: Et idem dicendum eſt de opinione probabiliore. Ergo qui ſequitur opinionem probabilem in ſuis actionibus, prudenter agit, quia ſequitur opinionem rationabilem,& approbatam à peritis in arte,qui ſunt Doctores; Et quamuis opinio probabilior magis accedat veritati,tamen cum non ſit certa,parum differt à probabili: & ille,qui operatur, non tenetur ſequi quod melius eſt,ſed ſufficit ſequi,quod bonum eſt,quia aliàs omnes teneremur Religionem ingredi.

Ego

Ego pro confirmatione meæ opinionis,Primo dico, meam opinionem eſſe communiter à Doctoribus approbatam, tam Theologis, quam Summiſtis, quam Canoniſtis. Qui omnes tractantes de opinione eligenda, dicunt, quod quando opiniones ſunt variæ,& inæquales,probabilior erit amplectenda: quando verò ſunt æquales, tutior; ita Corduba in ſuo Quæſtionario,lib.2.quæſ.3.propoſit.1.fol.12.column.1.& propoſit.3.column. 2. Corradus de Contract. quæſt. vlt. concluſ. 1. verſ.Septimus,&c. Nugnus in 3.part.D.Thomæ,tom.2.qu.8. art.5.dub.3. qui Doctores non pertranſeundo, ſed exactè illā tractauerunt.Sotus de Iuſt.& Iure lib.3.quæſt.6.art.5. in reſp. ad quartum.Caietanus in Summula, verb.Opinione vti. nu.2. Adrianus Quodlibeto 2.in 3.puncto.Henricus Quodlibeto 4. quæſt.33.quem refert Vaſquez in 1.2.D.Thom. diſp.62. cap. 1.num.3.Summiſtæ verbo Opinio, vt Sylu.quæſt.1. & 2. Tabiena quæſt.3.Armilla num.2.& 3.Roſella,& Angelus num.1. & 2.Nauarrus in Manual.cap.27.ſub num.286. verſ. Quarto, & Quinto. Canoniſtæ, vt patet ex ſupradictis quæſtione prima,concl.3.in fine, ibi, Et faciunt communem opinionem, à qua,&c.

Secundo dico,quod Doctores in medicamentis preſcribēdis infirmis, dant Medicis hanc regulam, Vbi ſunt rationes probabiles de facto ipſo,an ſit aliquod remedium ſalutiferum nec ne,ſi alia ſunt remedia abſque opinione ſalutifera infirmo, ea eligenda ſunt,& relinquenda illa,quæ ſunt in opinione,aliàs mortaliter peccant Medici; ita Sayrus in lib.1. Clauis Regiæ, cap.10.num.7.& Vaſquez in 1.2. D.Thom.diſput. 64. cap.4. num. 23. de Medico: Ergo multo magis hanc Regulam ſeruare debemus pro ſalute animæ, quæ pretioſior eſt corpore.

Tertio,Suarez in 3.par.D.Thom.tom 4.de Pœnit.Diſput. 26.ſect.6.in finalibus verbis,tractans,Vtrum liceat Sacramentum Pœnitentiæ miniſtrare cum iuriſdictione delegata, dubia

tantum,vel probabili,(qui eſt caſus, de quo loquitur Peregrinus in loco præallegato ſuorum Commentariorũ) dicit hæc verba: *Semper tamen ego admonerem tam Miniſtros,quam pœnitentes,vt certiori, vel ſaltem probabiliori via vterentur, niſi aliqua cauſa grauis,vel rationabilis vrgeat.* Ergo admonitio tanti viri, (qui tam exactè diſcuſſit hanc quæſtionem, & diſputando contrariam opinionem defendit) non eſt paruifacienda,ſed amplectenda: Et ego, ſicut olim amplexus ſum, ita nunc multo magis amplector, propter auctoritatem tanti viri. Cui addo authoritatem Nugni in 3.part. D.Thom. tomo 2.quæſt.8.art.5.dub.3.qui exactè diſcutiens hanc quæſtionem dicit hæc verba: *Dico contra Suarez,non tantum admonendũ eſſe,ſed neceſſario dicendum eſſe, vt nullus ſequatur opinionem probabilem,dum ſequi poteſt ſententiam certam, niſi vrgente aliqua cauſa graui.* Et reddit rationem,quia in his, quæ ſpectant ad neceſſaria Sacramentis, non licet ſequi opinionem probabilem minus tutam, quia practicè ſe exponit periculo faciendi Sacramentum nullum.

Sed reſpondendo rationibus adductis à P. Diana, clariùs apparebit, meam opinionem non eſſe reijciendam,ſed amplectendam, tamquam ſecuriorem pro ſalute animæ, & rationi magis conſonam; nec mundum ſcrupulis implicare,ſed tollere illa.

Ad primum reſpondeo, quod quando ſunt diuerſæ opiniones probabiles circa iuriſdictionem Sacerdotis ad Confeſſiones audiendas,tunc poteſt Sacramentum miniſtrari ſecundum opinionem probabilem, quando ipſe Sacerdos æſtimat dictam opinionem non ſolum eſſe probabilem,ſed probabiliorem. Et ſi putat eſſe æqualiter, vel minus probabilem, cognoſcit eſſe tutiorem pro ſalute animæ.Et ſi eſſet minus probabilis, & non eſſet tutior,illam ſequitur in caſu magnæ neceſſitatis, ad tollẽdum magnum ſcandalum, vel quia non adeſt alius Confeſſarius certus, vel propter aliam grauem circumſtantiam,

quæ

quæ in caſibus particularibus ſolet, & poteſt occurrere.

Sed quando illam amplectitur, (relicta veritate, vt in caſu noſtro, in quo Prælatus Regularis potens confiteri Sacerdoti approbato à ſuo Ordinario, abſque vllo ſuo detrimento, volũtariè & abſque vlla ratione, aut neceſſitate, vult confiteri Cõfeſſario, qui eſt in opinione Doctorum, an ſit legitimus Confeſſarius necne, vt patet ex meis Commentarijs ad noſtras Conſtitutiones par. 1. cap. 5. lit. C. verſ. Sed hic dubitari poſſet, &c. fol. 77.) & miniſtrat, & recipit Sacramentum ſecundũ illam, non in caſibus ſupradictis, ſed pro mera voluntate, vt dictum eſt, mortaliter peccat.

Primo, Quia in re graui facit contra rectam rationem, quã dedit nobis Deus ad regulandas noſtras actiones; quia electio non poteſt eſſe, niſi ex iudicio conſultationis. Iudicium autem conſultationis non poteſt eſſe de minori bono: Ergo neque electio de minori bono poterit eſſe. Et confirmatur authoritate Ariſtotelis lib. 3. de Anima cap. 11. tex. 57. vbi ex propria ſententia ita ſcribit: *At deliberatiua ijs ineſt tantum, quibus ratio ineſt: nam hoc agat, an hoc, rationis iam opus, atque officium eſt, atque neceſſe eſt vno quodam metiri: maius enim perſequitur.*

Secundo, Quia voluntariè ſe exponit periculo faciendi Sacramentum nullum; Nam opinio probabilis non dat rei certitudinem, & opinio tuta dat certitudinem. Et opinio probabilior, quamuis non det certitudinem, eſt minus incerta: & ſicut de duobus malis minus eſt eligendum. cap. Duo mala. 13 Diſt. ita de duabus opinionibus incertis, minus incerta eſt ſequenda; quia, dato, quod eſſet falſa, dum agens iuxta rectam rationem operatur, & iuxta regulam iuris, non ſolum excuſatur à peccato, ſed Eccleſia magis concurrit ſua auctoritate ad eius validitatẽ, & ſummus Sacerdos magis ſupplet ſua gratia; quod non eſt præſumendum, dum voluntariè, & abſq; legitima cauſa amplectitur minus tutam, vel minus probabilem opinionem.

Tertio obligatio charitatis, qua tenemur prouidere nobis & proximo de remedio, poſtulat, vt prouideamus remedia illa, quæ ſunt abſque periculo, quando id poſſumus abſque detrimento: Ergo, qui minus tutam opinionem amplectitur, non ſatisfacit huic obligationi.

Ad ſecundum reſpondeo, Quod Doctores, licet faciant opinionem probabilem, tamen non poſſunt dare iuriſdictionem vbi non eſt; Nam iuxta Regulam iuris, Nemo dat, quod non habet. cap. Daibertum. 1. quæſt. 7. cap. Quod autem de Iure patron. cap. Quomodo, de Conſecr. Diſt. 4. Et ad rationẽ quam allegat de errore communi, dico, quod Eccleſia tunc validat actionem factam cum communi errore, quando error eſt facti, & non iuris: & tex. in l. Barbarius, ff. de Officio Prætoris, vbi fundata eſt hæc opinio, loquitur de errore facti, & non iuris: Nec hæc lex eſt extendenda ad errorem iuris ex identitate rationis, nam ea, quæ ſunt exorbitantia, & ex ſingulari fauore conceduntur, non ſunt trahenda ad conſequentiam; c. Quæ à iure, de Reg. iur. in 6.

Præterea, dato, & non conceſſo, quod ille tex. extenderetur ad errorem iuris, ignorantia, ex qua procedit communis error, debet eſſe probabilis, ad hoc, vt excuſet à peccato, & Eccleſia det iuriſdictionem, vt patet ex eodem textu: Sed Prælatus Regularis, (& hic eſt caſus, de quo loquitur Peregrinus in illo loco) dum habet duos Confeſſarios, vnum approbatum à ſuo Ordinario, iuxta formam Conc. Trident. qui eſt certus, quod eſt legitimus Confeſſarius; & alium non approbatum ab Ordinario, ſed ab opinione Doctorum, qui dicunt eſſe ſuum legitimum Confeſſarium: & abſque vllo ſuo detrimento, poteſt confiteri Confeſſario approbato ab Ordinario, & nón vult: ſed pro ſua mera voluntate, & non ex aliqua iuſta cauſa motus, vult alteri confiteri: Non poteſt excuſari ex ignorantia, & proinde non eſt præſumendum, Eccleſiam velle dare iuriſdictionem in iſto caſu, (potius temeritatis, quam

igno-

ignorantiæ.) Vnde ſi habet peccatum mortale, & confitetur Sacerdoti non approbato ab Ordinario, peccat mortaliter.

Primo, Quia in re graui facit contra rectam rationem, exponendo ſe periculo faciendi Sacramentum nullum.

Secundo, Quia facit contra charitatem animæ ſuæ, relinquendo miniſtrum legitimum, & certum, & eligendo illum, qui eſt in opinione Doctorum ſi ſit legitimus nec ne.

Tertio, Hoc etiam affirmat Leſſius (non ex errore communi, ſed ratione indiſpoſitionis pœnitentis) de Iuſt. & iure lib. 2. cap. 29. dub. 8. num. 66. §. Quarto ſequitur. verſ. Hinc abſolutio, &c. dum loquens de errore communi dicit, Quod abſolutio data à Parocho tolerato propter communem errorem, quem ſcis occultè ſimoniacum, valet, vt paſſim Doctores fatentur, (nota) niſi fortè tu alterius copiam haberes, vel extra neceſſitatem illum induxeris; & ita illi confitendo peccas mortifere: quia tunc, & ſi non ſit irrita defectu iuriſdictionis, eſt tamen ratione indiſpoſitionis pœnitentis; hæc Leſſius, & Sanchez de Matrimonio tom. 1. lib. 3. diſp. 22. num. 46. circa finem, idem dicit. Et ſimiliter Sacerdos non approbatus ab Ordinario ſuo, iuxta formam Conc. Trident. & à pœnitente requiſitus, & electus, vt ei miniſtret Sacramentum pœnitentiæ, ſi ſcit, quod pœnitens poteſt confiteri alteri Sacerdoti approbato, vt ſupra dictum eſt abſque ſuo detrimento, & non habet iuſtam cauſam non confitendi illi, debet illum aduertere, vt confiteatur Confeſſario certo: & ſi pœnitens, non obſtante hac admonitione, vult confiteri dicto Sacerdoti non approbato, non debet illum audire, nec abſoluere, quia ſtat in malo ſtatu, nempe peccati mortalis, dum voluntariè ſe vult exponere periculo faciendi Sacramentum nullum.

Ad Tertium reſpondeo, Quod pœnitens in caſu noſtro, cũ accedat ad Sacramentum recipiendum cum peccato mortali, ex eo quod voluntariè, & abſque iuſta cauſa ſe expoſuit pe-

ri-

riculo faciendi Sacramentum nullum,(vt dictum eſt ſupra in reſponſione tam ad primum, quam ad ſecundum) ſequitur, quod non ſolum non conſequitur gratiam, ſed ſacrilegium committat, tam pœnitens, quam Sacerdos miniſtrans.

Ad quartum reſpondeo, Quod in noſtra quæſtione non tractatur tantummodo de opinione probabili, & magis probabili, & in omni materia; ſed tractatur de Confeſſario certo pro vna parte, & incerto pro alia parte: & in materia iuriſdictionis, cuius defectus reddit Sacramentum nullum; & in hoc caſu non eſt prudentia (immo magna imprudentia) relinquere Confeſſarium certum, & voluntariè, & ſine aliqua iuſta ratione confiteri Confeſſario incerto.

Et dato, quod tractaretur de opinione probabili, & magis probabili: dum cum opinione magis probabili eſt vnita ſecuritas, tenemur ſub præcepto ſequi ſecuriorem; ita docent cōmuniter Doctores ſupra allegati, & probant rationes allatæ in reſponſione ad primum.

Ad rationem, quæ affertur, quod ille, qui operatur, non tenetur ſequi, quod melius eſt: ſed ſufficit ſequi quod bonum eſt, quia aliàs omnes teneremur Religionem ingredi, ad quod non tenemur.

Reſpondeo, quod in caſu noſtro non tractatur de bono, aut meliori Confeſſario: ſed de Confeſſario, qui certò habet authoritatem abſoluendi, & de alio, de quo non adeſt hæc certitudo; Vnde non habendo Prælatus Regularis nec conſilium, nec præceptum, nec vllam iuſtam cauſam confitendi Confeſſario incerto: & à recta ratione ſit coactus confiteri certo, nō poteſt, tuta conſcientia, & abſque peccato mortali, relinquere certum pro incerto; & abſque periculo ſcandali, & mali exempli Religioſorum, & aliorum, qui hoc ſcirent. Et ad conſequētiam, quæ colligitur, quia aliàs omnes teneremur Religionem ingredi. Reſpondeo, negando conſequentiam. Et ratio negationis eſt, quia ingredi in Religionem conſilium eſt, & non

præ-

præceptum: ſed iudicare, & operari ſecundum veritatem eſt præceptum; & ſi veritas non appareret in aliquo caſu, & eſſet in opinione Doctorum, lex naturæ nos obligat ad ſequendam opinionem probabiliorem, vel magis tutam, vt docent Doctores ſupra allegati communiter, & probant rationes allatæ in reſponſione ad primum.

Ad confirmationem meæ rationis, de vſu vniuerſali Eccleſiæ, dicit P. Diana, quod neſcit quomodo poſſim illum probare, nam contrarium apparet ex communi Doctorum ſententia; & Confeſſarij paſſim abſoluunt cum opinione probabili, etiam in caſu, in quo agitur de eorum iuriſdictione.

Reſpondeo, quod vſus vniuerſalis Eccleſiæ eſt, quod in dubio iuris, quando tractatur de validitate alicuius Sacramenti, ſemper ante factum amplectitur tutiorem opinionem, niſi neceſſitas, vel aliqua iuſta cauſa cogat amplecti minus tutam. Vnde in Sacramento Baptiſmi dubium eſt inter Doctores, Vtrum ablutio facta in pede ſit ſufficiens ad validitatem Baptiſmi, nec ne; & quamuis probabilis ſit opinio, quod ſit ſufficiens; vnde ſi moriatur puer hoc modo baptizatus, iubet Eccleſia Romana illum ſepeliri in loco ſacro. Tamen ſi non moriatur, ordinat, vt iterum ſub conditione baptizetur. Ita habetur in Rituali Romano approbato à Paulo V. in Rubricis de Sacramento Baptiſmi, tit. de Baptizandis paruulis, verſ. Nemo in vtero, &c. & tenent communiter Doctores, quos refert, & ſequitur Suarez in 3. part. D. Thom. tomo 3. diſput. 20. ſect. 2. verſ. Quapropter, &c. il ſecondo. Et in hoc caſu clarum eſt, quod ſi baptizans poſſet abluere puerum in capite, (in quo eſt tutus baptiſmus) & voluntariè vellet abluere in pede, ex eo ſolum, quod eſt opinio probabilis, & non ex neceſſitate, vel alia iuſta cauſa, peccaret mortaliter, propter periculum cui ſe exponeret faciendi Sacramentum nullum.

In Sacramento Ordinis, Dubium eſt inter Doctores, an tactus moralis ſit ſufficiens ad imprimendum characterem, &

quam-

quamuis probabilis ſit opinio,quod ſit ſufficiens, tamen Epiſcopi ſunt diligentes,vt phyſicè tangant ordinandi inſtrumentum,in quo imprimitur character. Et in Pontificali Romano approbato à Clemente VIII. & Romæ impreſſo anno 1595. in ordinatione Presbyteri, & in traditione Calicis cum vino, & aqua,dicit Rubrica: *Pontifex cum tradit cuilibet ſucceſſiuè Calicem cum vino,& aqua,& patenam ſuperpoſitam cum hoſtia,& ipſi illam accipiunt (*nota*) inter indices,& medios digitos,& cuppa calicis,& patenam ſimul tangunt, Pontifice ſingulis dicente, Accipe poteſtatem offerre ſacrificium Deo,&c.* Ecce quomodo requirit tactum phyſicum, ſequendo opinionem tutiorem. Exemplum dando nobis,vt idem faciamus cũ poſſumus abſque detrimento noſtro; & hoc non ſolum vbi tractatur de materia,& forma Sacramentorum, ſed etiam in alijs caſibus,vbi tractatur de validitate ſacramenti,vel de peccato mortali committendo: ſemper enim ante factum probabiliorem,& tutiorem opinionem amplectitur Eccleſia. Hoc etiam patet in Sacramento Matrimonij, vt in cap.Inquiſitioni de Senten. excommun.& in materia irregularitatis,vt in cap. Significaſti,il ſecondo,& cap.pen.de Homicidio.

Sed P. Diana dicit, quod contrarium apparet, rogo, vt oſtendat caſus contrarios.

Et ad id,quod dicit, quod Confeſſarij paſſim abſoluunt cũ opinione probabili.Reſpondeo,quod poteſt eſſe,vt hoc faciãt illi Confeſſarij, qui nec Theologiam, nec Canonum ſcientias poſſident,quia cum ſint purè caſiſti, non ponderant rationes, ſed illam Doctorum opinionem amplectuntur, quæ magis facit ad eorum propoſitum.

Sed Confeſſarij,qui habent ſcientias ſupradictas, vel vnam illarum,& ſunt timoratæ conſcientiæ,conſiderant rationes, & non ita de facili,& ſine iuſta ratione, vel neceſſitate, relinquũt certum pro incerto,magis tutum pro periculoſo,& magis rationabile pro minus rationabili; exponendo ſe, & pœnitentes

iſtis

iſtis periculis, dum poſſunt ambulare per viam tutã, abſq; vllo detrimento pœnitentis,& ſui ipſius. In multis alijs verò caſibus,non nego,quod poſſunt ſequi opinionem probabilem, quamuis contraria ſit magis tuta,vel probabilior, vt ſupra dixi in reſponſione ad primum,in principio.

Hæc dixi pro defenſione veritatis, & communis opinionis Doctorum. Pro mea verò defenſione dico,quod qui ſequitur opinionem cõmunem DD. (quam ego putaui,& puto probabiliorem,& tutã)non poteſt condemnari de aliqua culpa. Et ſi pro defenſione dictæ veritatis dictum eſt,Prælatum, vel alium contrafacientem peccare mortaliter, dicti Doctores hoc dicunt,& directè ſequitur,dum Communis opinio eſt probabilior,& tuta in animæ iudicio.

Septimo Quæritur, Vtrum Præpoſiti locales noſtræ Religionis poſſent dare licentiam,vt Sacerdotes ſimplices audiant aliquando confeſſiones fratrum?

Ego in Compendio Priuilegiorum noſtræ Congregationis Mutinæ impreſſo,Tit. Abſolutio quoad fratres. §. 2. in ſcholio, teneo,quod non,dum adeſt alius Sacerdos noſtræ Congregationis approbatus ad Confeſſiones audiendas à noſtro P. Generali,cui reſeruata eſt hæc poteſtas dandi dictas licentias.

Contrarium tenet P. noſter Diana in tom. 3. Reſolut. moral. tract. 2. Reſol. 3. in fi. fundatus in authoritate P. Alphonſi Leone,in tract. de Offic. & poteſt. Confeſſarij, tom. 2. Recollect. 6. n. 97. Aduertat lector,quod iſti Doctores hoc dicunt, fundati in illa opinione DD. quos ipſi ſequuntur; nempe, quod Regulares, qui habent Priuilegium, vel licentiam ab eorum Superioribus confitendi alijs, poſſunt eligere in Confeſſarium Sacerdotem non approbatum à ſuo Ordinario, iuxta formam Conc. Trident. ſicut ex conſuetudine faciebant ante Concil. Trident. Vnde non eſt mirum ſi in præſenti caſu teneant hanc opinionem. Ego verò,quia oppoſitam teneo opinionem, vt videri poteſt ſupra quæſt. 4. non eſt mirandum ſi teneo partẽ

negatiuam. Præterea ſup. in quæſt. 5. ego tenui, quod nec Præpoſiti locales noſtræ Congregationis poſſunt confiteri Sacerdoti noſtræ Congregationis, qui non ſit admiſſus ad Confeſſiones audiendas à noſtro P. Generali. Ergo multo minus poſſunt alijs ex noſtris, etiam ſi ſint eorum ſubditi, tribuere hanc licentiam.

Octauo Quæritur, An Confeſſarius ſæcularis, vel Regularis non deputatus ad audiendas confeſſiones Nouitiorum, poſſit abſoluere Nouitios Regulares, etiam à peccatis in Religione reſeruatis?

Ego in meis Commentarijs ad Conſtit. Clericorum Regularium, par. 2. c. 5. lit. K. fol. 216. dico, quod nullus alius, præter nominatos in Decreto Clem. VIII. quod incipit: Quilibet Nouitius, &c. ſub tit. Inſtitutiones ſuper receptione, & educatione Nouitiorum, habet facultatem audiendi confeſſiones Nouitiorum, & ſi alij de facto audiant, & abſoluant, confeſſio erit nulla, ex defectu poteſtatis Confeſſarij.

Contra meam opinionem inſurgit P. Diana, in Volumine 3. Reſol. Moral. tract. 2. de Dubijs Regular. Reſol. 4. dicens contrariam ſententiam prorſus ſuſtinendam eſſe, quam multi alij tuentur; & rationem adducit, quia Nouitij ante profeſſionem ſunt in hoc ad inſtar ſecularium, & ideo ſi confiteantur cum approbato ab Ordinario, valida erit confeſſio; nam nullibi videtur expreſſum contrarium, & ideo caſus reſeruatio Superiorum Monaſterij illos non comprehendit. (Aduertat Lector quod eſt petitio principij.) Dicit etiam non obſtare huic ſententiæ Decretum Clem. VIII. quod affero pro confirmanda mea opinione, quia non eſt latum à Summo Pontifice per modum præcepti, irritando confeſſionem aliter factam, ſed per modum regulæ, & conſilij.

Ad hanc expoſitionem Decreti reſpondeo, primo loco dicens, quod licet Decretum non ſit formatum per verba præceptiua, tamen ſunt æquipollentia præceptis, quæ ſufficiunt in

lege

lege Eccleſiaſtica ad obligandum ad peccatum mortale tranſgreſſorem, dum de contraria legiſlatoris intentione per eamdem legem non conſtat, vt docet Nauarr. in Manuali cap.23. n.50.Philiarcus de Off.Sacerdotis.p.2.lib.3.c.2.dicto 2. Sayr. & alij,quos ipſe refert in lib.3.Clauis Reg. c.7.n.27. Et quod verba dicti Decreti ſint æquipollentia præceptis, patet ex illo verbo poſito in vltimo,*committatur*, & ex alio verbo, Magiſtro, *ſoli*, Nouitiorum, vnde excludit omnes alios, excepto Superiore, vel alio ab eo deputato ſemel,aut bis in anno. Et confirmatur ex Decreto vltimo, quod incipit, Denique, &c. in quo imponit pœnam Superioribus priuationis Officiorum, grauioreſq. pœnas, pro modo culpæ admiſſæ, ſi in prædictis omnibus,(nota,quod ſequitur) vel eorum aliquo deliquerint. Quæ pœnæ non imponuntur niſi pro peccato mortali in lege Eccleſiaſtica,vt docent communiter Doctores,quos refert,& ſequitur Sayr.in lib.3.Clauis Regiæ. c.7.n.25.in principio, & Sanchez de Matr. to.3.lib.9.diſp.32.n.29.& Suarez tomo 5. de Cenſuris. diſputat. 4. ſection. 4. num. 6. & 7.

Præterea materia dicti Decreti eſt grauis in ordine ad bonum commune Religionis; Vnde ex hac etiam parte videtur eſſe præceptiuum,& obligare ad peccatum mortale,dum non conſtat de contraria mente legiſlatoris.

Et ſic tam ex verbis, quæ ſunt æquipollentia præceptis, quam ex pœnis, & ex grauitate materiæ, colligitur dictum Decretum eſſe præceptiuum, & obligare ad peccatum mortale.

Addo etiam Clementem VIII.in dicto Decreto,præſcribere formam educationi Nouitiorum circa adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, qua forma non ſeruata facit actum nullum,quia deficit ſubſtantia.l.1.§.Si quis ita. ff. de verb. obl. nam forma intelligitur de ſubſtantia,ita Bald.in l.Comparationes,in 3.oppoſ.C.de Fide inſtrum.Anchar.conſ.36.n.1.Alex. conſ.50.n.5.lib.5.&alij, quos refert, & ſequitur Mantic. de

Tacitis, & ambiguis conuent. tomo 1. lib. 1. tit. 12. num. 31. fol. 28.

Præterea, dum Summus Pontifex imperat Superioribus Regularibus, ſub pœnis tam grauibus, vt committant ſoli Magiſtro Nouitiorum, &c. curam audiendi confeſſiones Nouitiorum: ſignum eſt, quod habent iuriſdictionem in Nouitios Prelati Regulares; & quod Magiſtri Nouitiorum ab illis iuriſdictionem accipiunt abſoluendi illos: & dum excipit, vt ipſe tantum Superior, ſemel, vel bis in anno, vel alius ab eo deputatus, poſſit audire confeſſiones Nouitiorum; ſequitur, quod alij Confeſſarij, qui non ſunt Magiſtri Nouitiorum, vel non ſunt à Superiore deputati, vt ſupra dictum eſt, non poſſint audire confeſſiones Nouitiorum; & ſi audiant, & abſoluant, confeſſio ſit nulla ex defectu iuriſdictionis. Nec obſtat dicere, quod Sũmus Pontifex non annullat confeſſionem in dicto Decreto, nã ſequitur conſequenter: ſi enim alij Confeſſarij non habent licentiam à Prælato Regulari audiendi confeſſiones Nouitiorũ, & à Summo Pontifice eſt eis prohibitum, vt patet ex dicta exceptione, quæ firmat regulam in caſibus non exceptuatis: Ergo dum nullam habent iuriſdictionem in Nouitios, ſequitur conſequenter, quod confeſſio eis facta ſit nulla, & quod poſſunt puniri, ſi eos ſcienter abſoluant.

Nec etiam obſtat quod dicit Diana, quod Nouitij in hoc ſunt ad inſtar ſæcularium: nam negatur, immo pro eo tempore, quo ſunt in Nouitiatu, ſunt in hoc ad inſtar Religioſorum profeſſorum, nam ex conſuetudine ſunt ſub iuriſdictione Prælati Regularis; & lippis, & tonſoribus patet, quod nec Curati ſeculares, nec Ordinarij Eccleſiaſtici ſecularium, nec Iudices ſeculares ſe intromittunt in Nouitios. Et licet ſit in eorum libertate manere, vel diſcedere à Religione, tamen dum ibi manent ſunt ſub iuriſdictione Prælati Regularis, qui poteſt illos ligare, & ſoluere in ijs, quæ pertinent ad conſcientiam.

Nec minus obſtat, quod Molfeſius dicit in ſua Summa. p. 1.

tract.

tract.7.de Pœnit.c.14.n.82. quod Nouitius non habet animũ ſe obligandi ad obſeruantiam Regulæ, niſi poſt profeſſionem: nam verum eſt;obligatur tamen iure Diuino,& Naturali de non faciendo iniuriam Sacramento, & poteſtati Eccleſiaſticæ ſpirituali, vt non procuret abſolui à non habente clauem talis abſolutionis, neque confeſſionem irritam facere quantum in ſe eſt.Quam quidem clauem,& poteſtatem ſuper eum, dum manere vult in habitu Religionis, habet ſolus Prælatus Regularis,ſicut in alios profeſſos,non ſolum ex conſuetudine ſupradicta, ſed etiam ex vi dicti Decreti Clementis VIII. vt dictum eſt ſupra verſ.Præterea,&c.& non ſolum in caſibus ordinarijs, ſed etiam in reſeruatis.

Ad auctoritatem Doctorum,quos P.Diana allegat pro cõfirmanda ſua opinione,dico,quod magnifacio authoritatem Doctorum, tamen dum pro mea opinione adeſt conſuetudo, quæ habet vim legis, & Decretum ſummi Pontificis,probabiliorem reputo,immo omnino illam eſſe ſequendam; Eſt etiam tuta, & contraria periculoſa, & contra bonum regimen Religionis, cui Clemens VIII. voluit conſulere in dicto Decreto. Et dum bona temporalia procuramus poſſidere abſque lite; quare noſtram conſcientiam, & ſalutem animæ volumus ponere ſub lite,& opinione Doctorum? Nec mea opinio eſt noua,nam ante me, & ante Decretum Clementis Octaui, illam tenuit,& exactè probauit F. Antonius Corduba in ſuo Quæſtionario lib.1.q.30.& alij,& poſt Decretum P.Megalis,& alij quos ipſe Diana,& Molfeſius afferunt.

Nono quæritur, An Confeſſarij deſignati à Superiore Regulari ad audiendas ſuorum ſubditorum confeſſiones, poſſint abſoluere Clericos nouellos profeſſos, ſtantes ſub cura Magiſtri?

Ego in meis Commentarijs ad Conſtitutiones Clericorum Regularium p.1.c.9.lit.C.§.6.teneo partem negatiuam, dicẽs probabiliorem mihi videri, dum à ſummo Pontifice aliud non

de-

deciditur. Probo meam opinionem ex Decreto Reformationis Clem.VIII. quod incipit Quilibet Nouitius.&c. ſub tit. Inſtitutiones ſuper receptione, & educatione Nouitiorum, quo imperat ſummus Pontifex Prælatis Religionum, vt ſoli Magiſtro Nouitiorum confeſſiones audiendi cura committatur. Quod Decretum, licet loquatur de Nouitijs formalibus, qui ſunt ſeparati à profeſſis, ob bonum commune obſeruantiæ Religionis, tamen eàdem ratione comprehendit nouellos profeſſos, qui ſunt in ſecundo Nouitiatu ſub cura Magiſtri, & ſummus Pontifex vult, vt habitatione, & officijs obedientiæ exterioris, quæ exercent, ſint ſeparati ab alijs profeſſis, vt patet ex Decreto Reformationis, Vt autem, &c. cum ſequenti in eodem titulo. Vnde cum eadem ratio militet in vtroque Nouitiatu, eadem diſpoſitio obſeruari debet in nouellis profeſſis, qui ſunt ſub cura Magiſtri, cap. Dudum, il ſecondo, de elect. cap. Dilecta, de Confir. vtil. l. illud. ff. Ad legem Aquiliam.

Confirmatur etiam mea opinio ratione. Clarum eſt, quod Confeſſarij deputati à Prælatis Regularibus ad audiendas ſuorum ſubditorum confeſſiones, authoritatem, & iuriſdictionem abſoluendi accipiunt ab ipſis Prælatis: ſed dicti Prælati, dum deputant Confeſſarium particularem pro Profeſſis nouellis, qui ſunt in ſecundo Nouitiatu, non dant iuriſdictionem alijs Confeſſarijs deſignatis ad audiendas confeſſiones Profeſſorũ niſi pro alijs Profeſſis, qui non ſunt in Nouitiatu: Ergo dum audiunt confeſſiones nouellorum profeſſorum, qui ſunt in ſecundo nouitiatu, & illos abſoluunt, Confeſſio eſt nulla ex defectu iuriſdictionis. Maior eſt clara. Minor probatur ex vſu noſtræ Religionis, in qua non permittitur, vt Confeſſarij deputati ad audiendas confeſſiones fratrum, audiant confeſſiones nouellorum profeſſorum, qui ſunt ſub Magiſtro ſecundi Nouitiatus. Nec Magiſtris nouellorum profeſſorum permittitur, vt audiant confeſſiones aliorum profeſſorum, abſque ſpeciali licen-

centia ſui Prælati: Ergo habent iuriſdictiones diſtinctas. Sed dato(& nullo pacto conceſſo) quod Superior Regularis malè faceret,diſtinguendo dictas iuriſdictiones, reprehendi poſſet à Superioribus maioribus:ſed non per hoc Confeſſarij Deputati pro profeſſis,qui ſunt extra Nouitiatum, poſſent abſoluere nouellos profeſſos, qui ſunt ſub Magiſtro in ſecundo Nouitiatu;& ſi de facto facerent,confeſſio eſſet nulla ex defectu iuriſdictionis;quia Superior,cui competit dare talem iuriſdictionē, non dedit illam ſuper nouellos profeſſos, qui ſunt in ſecundo Nouitiatu,ſed ſuper alios,qui ſunt extra Nouitiatum.

Patri noſtro Dianæ in p.3.ſuarum Reſolut.moral.tract.2.de Dubijs Regularium. Reſol. 5. magis placet affirmatiua ſententia,quam probat eiſdē fundamentis, quibus ego probaui opinionem affirmatiuam in meis Commentarijs.

Primo,ex noſtris Conſtitutionibus p.1. c.9. n.3. vbi ſic habetur:Confitebitur autem quiſque noſtrum ſuo Præpoſito, aut cui volet ex Confeſſarijs,quos Præpoſitus deputauerit. Et confirmatur ex Decreto Capituli Generalis,quod eſt p.1.c.6. n.1.vbi ſic habetūr: *Nemo noſtrum ſua peccata extero Sacerdoti confiteri queat, ſed ijs tantummodo noſtratibus Confeſſarijs, qui à Præpoſito Domus fuerint deſignati.* Quæ verba abſolutè loquuntur, nec diſtinguunt inter profeſſos manentes ſub cura Magiſtri,& alios. Vnde cum lex non diſtinguat, nec nos diſtinguere debemus. l. de pretio. ff. de Public. in rem actio. l.Præſes.ff.de Off.Præſidis.

Secundo Clemens VIII. in Decreto publicato an. 1593. die 26.menſ.Maij. ordinat Superioribus Regularium,vt deputent Confeſſarios pro ſubditorum numero,&c. Et ratio huius Decreti fuit ne Religioſi propter verecundiam ſacrilegas cōfeſſiones efficiant: ſed hæc ratio magis militare poteſt cū Clericis nouellis profeſſis,quā cum alijs:Ergo cū Pontifex abſolutè loquatur, illa verba(pro ſubditorū numero) nō ſunt reſtringenda ad profeſſos antiquos, excludendo nouellos profeſſos.

Ad

Ad Decretum vero Reformationis, quod incipit, Quilibet Nouitius,&c.adductum à me,reſpondit P.Diana non facere ad rem,non ſolum quia loquitur de Nouitijs formalibus,& nō profeſſis: ſed etiam,quia Pontifex ibi loquitur, non per modū præcepti, irritando confeſſiones aliter factas, ſed per modum Regulæ,& conſilij.

Sed contra ſupradictam reſponſionem ſic argumentor;Vbi eſt eadem ratio, eadem debet eſſe iuris diſpoſitio: ſed eadem ratio,quæ militat in Nouitijs formalibus circa deſignationem Confeſſarij, ad audiendas illorum confeſſiones; militat etiam in nouellis profeſſis, qui ſunt ſub cura Magiſtri: Ergo eadem iuris diſpoſitio, quæ eſt ſtatuta pro Nouitijs formalibus, debet obſeruari pro nouellis profeſſis, qui ſunt in ſecundo Nouitiatu.

Maior,& minor probata eſt ſupra in verſ. Probat ſuam opinionem,&c.vſque ad verſ.Confirmatur etiam,&c.excluſiuè.

Ad aliam obiectionem,quam facit dicto Decreto (Quilibet Nouitius, &c.) quod non loquatur per modum præcepti, ſed per modum regulæ,& conſilij,

Reſpondeo eſſe præceptiuum,& conſequenter annullare confeſſionem, vt probatum eſt ſupra in præcedenti quæſtione 8.verſ.Dicit etiam,&c.vſque ad verſ.Nec etiam obſtat, excluſiue,quem locum rogo Lectorem vt legat,nam breuitatis gratia non repeto: Ergo Decretum ſupradictum Reformationis facit ad rem,& probat opinionem meam.

Nunc reſpondeo ad probationes pro affirmatiua ſententia.

Reſpondeo primo ad Conſtitutionem noſtram, & Decretū Capituli Generalis noſtræ Congregationis dicens; Quod licet dicta verba abſolutè loquantur, nec diſtinguant nouellos profeſſos,qui ſunt ſub cura Magiſtri ab alijs profeſſis, tamen ſunt declarata,& diſtincta ex vſu noſtræ Congregationis, non procedere in nouellis profeſſis,qui ſunt ſub cura Magiſtri,vt dictū

eſt

eſt ſupra, verſ. Maior eſt clara, Minor probatur ex vſu, &c. Præterea lex generaliter, & indiſtinctè loquens, eſt limitanda per ſpecialem (etiam antiquiorem) & iuxta illam intelligenda, niſi expreſſis verbis illi contradicat, l. Non eſt nouum, & l. Sed & poſteriores. ff. de Legibus, & ibi glo. 2. litt. C. & Sanchez de Matrim. lib. 2. diſp. 42. num. 6. Sed Decretum Reformationis (Quilibet Nouitius, & alia Decreta facta in dicta materia à Clemente VIII.) ſunt ſpecialia pro Nouitijs primi, & ſecundi Nouitiatus, & renouata ab Vrbano VIII. anno 1624. Ergo cũ ſint ſpecialia pro Nouitijs primi, & ſecundi Nouitiatus, & à Summo Pontifice lata, limitant noſtram Conſtitutionem, & Decretum Capituli Generalis, (quæ iura loquuntur per verba generalia, & abſoluta) non habere locum in nouellis profeſſis, qui ſunt ſub Magiſtro ſecundi Nouitiatus.

Nec obſtat regula adducta à P. Diana, quod cum lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, nam illa procedit quando per alias leges ſpecialiter, & diſtinctè loquentes non diſtinguatur. l. Filiusfamilias iuncta. l. 1. ff. de Act. & obligation. l. Tranſigere, & ibi glo. magna in fine. ff. de Pactis. l. Simplicitas. C. de Tranſact. Sed in caſu noſtro diſtinguuntur nouelli profeſſi, qui ſunt ſub ſecundo Nouitiatu, ab alijs profeſſis, vt per Decretum Reformationis. Vt autem Nouitij, &c. cum ſequenti; & ex identitate rationis cum Nouitijs primi Nouitiatus, diſtinguuntur eorum Confeſſarij, à Confeſſarijs profeſſorum, qui ſunt extra Nouitiatum: Ergo noſtra Conſtitutio, & Decretum Capituli Generalis, licet per verba generalia, & indiſtincta loquantur, tamen diſtingui debent iuxta Decreta Reformationis, quæ diſtinctè loquuntur.

Reſpondeo ſecundo ad Decretum Clem. VIII. de deputatione Confeſſariorum, quod licet ratio dicti Decreti poſſit militare in nouellis profeſſis, qui ſunt in ſecundo Nouitiatu, & poſſit etiam militare in Nouitijs formalibus, tamen non debemus ſapere plus quam oportet ſapere: Placuit enim ſummo

N Pon-

Pontifici ob bonum commune obſeruantiæ Religionis ſeparare Nouitios tam primi,quàm ſecundi Nouitiatus à profeſſis antiquis,& aſſignare illis particulares Confeſſarios, nempe vnicuique Nouitiatui ſuum Magiſtrum, & Confeſſarium extraordinarium: Non debemus nos nunc noſtra opinione deſtruere ordinationem tam bonam ſummi Pontificis.

Præterea dictum Decretum de deputatione Confeſſariorũ fuit factum à Clemente Octauo anno D. 1593. & Decreta Reformationis(Quilibet Nouitius,&c.& Decretum Vt autem cum ſequenti in eod.tit.)fuerunt facta ab eodem Clemente Octauo anno 1603.& ſunt ſpecialia pro Nouitijs primi, & ſecundi Nouitiatus: Ergo per hæc vltima Decreta voluit limitare primum, (ob bonum commune obſeruantiæ Religionis) non procedere in Nouitijs formalibus, & nouellis profeſſis, qui adhuc ſunt in ſecundo Nouitiatu; nam lex generalis per ſpecialem limitatur, vt dictum eſt in præcedenti reſponſione.

Vnde declaratis iuribus, quæ obſtare videbantur opinioni meæ,quæ reuera non obſtant,quia loquuntur de profeſſis,qui ſunt extra Nouitiatum; & Decreta Reformationis loquuntur de Nouitijs tam primi,quàm ſecundi Nouitiatus. Et concordatis iuribus,ſequitur opinionem negatiuam,quam teneo,eſſe amplectendam,tamquam probabiliorem,& tutam; Affirmatiuam verò eſſe multo minus probabilem, & periculoſam nullitatis confeſſionis ex defectu iuriſdictionis.Et ſi aliquis diceret, quod opinio probabilis confert ſacerdoti iuriſdictionem, videat quæſo reſponſiones, quæ habentur ſupra quæſt. 6. in reſponſione ad primum,& ſecundum,quas breuitatis gratia hic non repeto.

Decimo Quæritur, An Prælati locales Regulares poſſint concedere dimiſſorias ſuis Nouitijs, vt ab Epiſcopo ordinentur? Et ſi de facto concedant, Vtrum incurrant ſuſpenſionem ab officio,& beneficio, latam à Conc.Trid.ſeſſ.23.c.10.?

Ego

Ego in meis Commentarijs ad Conſtitutiones Clericorum Regularium par. 1.c.4.lit.A.in principio, dixi non poſſe concedere dictas dimiſſorias: & eadem litt. A. §. 1. dixi, quod ſi de facto concedant, incurrunt in dictam pœnam latam à Concilio Tridentino.

P.noſter Diana in volum.3.Moral.Reſolut.tract. 2. de Dubijs Regularium, Reſol.7.oppoſitam tenet ſententiam, dicens, aduerſus Peregrinum prorſus eſſe ſuſtinendam, ſed aduertendum eſt, quod loquitur vigore Priuilegiorum, vt patet ex titulo.

Ego pro defenſione meæ opinionis, Primo dico, quod in meis Commentarijs nullam mentionem feci de priuilegijs: Vnde ſicut P.Diana in dicta Reſolutione, verſ.Nec aduerſus, &c.reconciliat Naldi, & aliorum opinionem, aſſerentium, litteras dimiſſorias eſſe concedenda Nouitijs ab Epiſcopo, dicens, loqui dictos authores de iure communi, non autem in caſu priuilegij concedentis Superioribus Religionum, poſſe dictas litteras ſuis ſubditis concedere, & maximè quando priuilegium extendit hoc etiam ad Nouitios, vt ipſemet, & Doctores ab eo allati loquuntur: poterat etiam, eodem pacto reconciliare meam opinionem cum ſua; Cum ſit vera de iure communi, vt docet Sanchez in Summa tom. 2. lib.6. cap. 10. num.22. Suarez de Relig.tom.3.lib.5.c.16.n.17. & Syluester verb. Religio. 5. §. 10. & alij: Et opiniones Doctorum, quæ contrariæ videntur, ſint potius diſtinctione concordandæ, quam prorſus reprobandæ, arg.cap.Cum expediat, de Elect. in 6.

Secundo dico, quod ſi dicta priuilegia adſint, ſiue ſint conceſſa Patribus Societatis Ieſu, ſiue alijs Religionibus, Præpoſiti noſtræ Congregationis gaudent dictis priuilegijs æquè principaliter; ſed hoc opus, hic labor. P.Diana, Sanchez, Suarez, & alij, quos ego videre potui, nullum afferunt priuilegiũ, in quo dicatur, quòd Prælati Regulares poſſunt concedere

dimiſſorias ad Ordines ſuſcipiendos Nouitijs,ſed ſuis ſubditis; & per ſubditos intelliguntur profeſſi; Nam licet Nouitij formales ſint ſub iuriſdictione Prælati Regularis pro eo tempore, quo manent in Nouitiatu, tamen non ſunt formaliter, & propriè ſubditi,niſi facta profeſſione; & quoad hoc ſubduntur Epiſcopo;nam hæc ſunt iura Epiſcopalia. Præterea priuilegia exorbitantia à iure communi ſunt ſtrictè interpretanda.c.Quę à iure communi.de Reg.iur.in 6. & ſic ſimiliter eſt interpretãdum priuilegium poſitum in 2.p. Compendij noſtrorum priuilegiorum,tit.Ordines.§.1.relatum à P.Diana; nã per *noſtros*, intelliguntur ibi noſtri profeſſi.

Nec obſtat Priuilegium Eugenij IV.poſitum in prima parte noſtri Compendij,Mutinæ impreſſi, tit. Nouitius. §. 1. in quo dicitur, quod *Omnes gratiæ nobis conceſſæ per Summos Pontifices,complectuntur etiam Nouitios*. Nam reſpondeo, quod inter Bullas Eugenij IV. non inueni tale priuilegium; vnde veriſimile eſt eſſe conceſſum per Viuæ vocis oraculum, & per conſequens eſſe reuocatum per Bullas Greg.XV.& Vrb.VIII. quæ reuocant dicta Viuæ vocis oracula.Sed dato, quod dictũ priuilegium ſit per bullam authenticam,dico, quod adhuc nõ obſtat,quia priuilegium ſubiungit, *ſi tamen perſeuerauerint*. Ergo dum certum non eſt,quod perſeuerent, gaudere illo nõ poſſunt in hoc caſu; nam ſi ordinarentur tempore Nouitiatus & poſtea exirent,eſſent Clerici contra voluntatem Epiſcoporum ſuorum,& ſic præiudicium eſſet Epiſcopis. Ad authoritatem Suarez,qui dicit ſuam Societatem habere hoc priuilegium;dico quod licet ſit teſtis fide dignus,tamen Epiſcopi,qui Ordines conferunt, non tenentur nec ei, nec alijs Doctoribus credere,niſi oſtendatur priuilegium. In Vrbe verò Romæ,nullus Nouitius ordinatur (nec etiam prima tonſura) cum dimiſſorijs Prælatorum Regularium, ſed cum dimiſſorijs ſuorum Epiſcoporum;vel cum licentia Eminentiſſ. & Reuerendiſſ. Vicarij Vrbis;& vt ſeculares,& non vt Regulares.

Vndecimo Quæritur, An relinquere Miſſam ſolemnem diebus feſtiuis in noſtris Eccleſijs, ſit peccatum mortale?

Ego in meis Commentarijs ad Conſtitutiones Clericorū Regularium p.1.l.E.fol.52.dico, eſſe peccatum mortale illam relinquere ex negligentia; ſecus verò ſi ex aliqua iuſta cauſa: & hoc non ſolum ratione ſcandali, ſi ſcandalum oriretur apud ſeculares, ſed etiam ſecluſo ſcandalo; & à P. Generali ſeuerę puniri poſſet.

Probo meam opinionem, etiam ſecluſo ſcandalo, ex conſuetudine Eccleſiæ vniuerſalis, approbata à diuerſis Summis Pontificibus, & ab illis eſt ordinatum ſub præcepto obedientiæ, vt obſeruetur; quæ iura ſunt allegata in dictis Commentarijs. Sed vt res clarius intelligatur, eſt ſciendum, quod

Conſuetudo Eccleſiæ vniuerſalis canendi Horas Canonicas, & Miſſam ſolemnem in Cathedralibus, Collegiatis, & Conuentualibus Religioſorum, fuit introducta ad gloriam Dei, & vtilitatem, & ædificationem Populi Chriſtiani. Nam cū perſonæ Eccleſiaſticæ teneantur magis laudare, & glorificare Deum, quam ſeculares, & teneantur orare pro ſe, & pro alijs; conueniens fuit, vt vniformiter ab omnibus publicè laudaretur, & Diuina officia cum ſolemnitate canerentur, ad excitandum populum ad maiorem deuotionem, & æſtimationem Diuinorum. Vnde antiquitus tanta erat Miſſæ ſolemnis celebritas; vt nullo pacto reliquis Sacerdotibus liceret priuatas Miſſas ante tertiam (in qua Miſſa ſolemnis celebrabatur) celebrare, ne populus à publicis ſolemnibus diſtraheretur, vt notat noſter P. Caſtaldus in ſuo Ceremoniali, Neapoli impreſſo, anno 1625. lib. 2. ſect. 9. num. 2. fol. mihi 265. Et ad hoc, vt perſonæ Eccleſiaſticæ poſſent hoc commodè facere, fideles Clericis ſecularibus, qui erant deſtinati illis Eccleſijs, conſtituerunt redditus Eccleſiaſticos, qui appellantur Canonicatus, Beneficia, & alijs nominibus; & Regularibus, qui viuebant in communi, donauerunt in vita, vel in morte redditus Eccleſiaſticos

Ec-

Eccleſijs,& Conuentibus vbi manebant;Et ijs, qui non poſſidebant redditus, nec in particulari,nec in communi,ſuppeditauerunt, & ſuppeditant quotidianas eleemoſynas, loco annuorum redditiuum. Quæ conſuetudo laudandi Deum, cum eſſet relaxata varijs temporibus,ex negligentia ſubditorum, & Prælatorum, à varijs Summis Pontificibus fuit reſtaurata, approbata, & abuſus reprobati; Et ſub præcepto obedientiæ fuit ordinatum ab eiſdem Summis Pontificibus,vt obſeruaretur in futurum,ſtatuendo alias pœnas contrafacientibus. Iſti Summi Pontifices fuerunt Innocentius III. qui ex Concilio Generali Lateranenſi,vt patet ex cap.Dolentes, de Celebrat. Miſſarum, diſtrictè præcipit, in virtute Obedientiæ Eccleſiarū Prælatis,vt Diuinum officium,nocturnum pariter,& diurnum, (inter Diuina Officia connumeratur Miſſa ſolemnis, vt patet ex eodem textu,in princ.)ſtudiosè celebrent pariter & deuotè. Alius fuit Honorius III.in c.Cum creatura, de Celebrat. Miſſarum,vbi mandat vniuerſis Eccleſiarum Prælatis, (vt patet ex rubrica dicti capituli)vt ſecundum temporum congruētiam,Miſſarum ſolemnia conuentualiter celebrent, & verbum *mandamus*, poſitum in dicto Canone, importat peccatum mortale,vt docet Alphonſus de Caſtro Salas,& alij, quos refert,& ſequitur Bonacina de Legibus,diſp.1.q.1.punct. 7.§.4. n.7.fol.mihi 117. Tertius fuit Clemens V.ex Concilio Viennenſi,in Clem.1.eod.tit.vbi ordinat,vt in Eccleſijs Cathedralibus,Regularibus, & Collegiatis debitè celebretur Diuinum, diurnum,& nocturnum officium,ſi Dei,& Apoſtolicæ ſedis indignationem euitare voluerint: quæ verba indicant peccare mortaliter transgreſſores; & ſub nomine Diuini officij, non ſolum comprehenduntur Horæ Canonicæ, ſed etiam Miſſæ ſolemnes,vt patet ex cap.Dolentes,de Celebrat.Miſſarum, & docet Bonacina de Euchariſtia,diſp.4.q.vlt.puncto 7.§.3.n.3. quem refert, & ſequitur Gauantus in ſuis Commentarijs ad Rubr.Miſſal.tom.1.p.3.tit.11.n.4.dicens, quod æquiparantur

hæ

hæ Miſſæ Horis Canonicis,quæ dicuntur in Choro.Immo dicit,quod ſunt horarum quaſi finis, ad quem diriguntur horæ, vt probat Francolinus de Tempore Horarum Canonicarum par.1.cap.16.num.18. Quartus fuit Pius V.ex Conc.Triden. qui in Bulla,quæ incipit,Quod à Nobis, &c. quæ eſt in principio Breuiarij Romani;& in alia Bulla, quæ incipit,Quo primũ, &c.quæ eſt in principio Miſſalis Romani, præcipit in virtute ſanctæ obedientiæ,vt Horæ Canonicæ recitentur,& Miſſa celebretur iuxta Rubricas Breuiarij,& Miſſalis Romani, ab ipſomet Summo Pontifice approbata;Et in Rubrica 3.& 5.Miſsalis,clarè demonſtrat,quod in Eccleſijs Cathedralibus,& Collegiatis debet quotidie cantari Miſſa. Verum eſt aduertendũ, quod ex vi conſuetudinis Eccleſiæ vniuerſalis, & ex vi Canonum, & ex Rubricis Miſſalis Romani, quotidie cani debet;& etiam patet ex Francolino de Tempore Horarum Canonicarum c.29.n.2. & 3. & noſtro P. Caſtaldo in ſuo Ceremoniali, lib.2.ſect.9.num.2.fol.mihi 265. impreſſo anno 1625. Sed ex vi conſuetudinis noſtræ Religionis,approbata à Clemen.VIII. in noſtris Conſtitutionibus, non tenemur illam canere, niſi in diebus feſtiuis; & excuſat nos à peccato, ſi in alijs diebus non feſtiuis non canatur à noſtris. Non tamen excuſat nos à peccato mortali, ſi ſine iuſta cauſa omittatur in diebus feſtiuis; quia ad id tenemur ſub culpa mortali celebrare; non ex vi noſtræ conſuetudinis,& noſtrarum Conſtitutionum, ſed ex conſuetudine Eccleſiæ vniuerſalis,& Rubricis Miſſalis Romani,& ex vi Canonum,vt ſupra probatum eſt,& probabo infra in reſponſione ad ſecundum. Quibus ſeruandis obligant nos etiam noſtræ Conſtitutiones, vt patet ex principio procemij, ibi: *In his ſcribendis, ædendiſue, ea mens noſtra eſt, tum, vt quæ Naturali,Euangelica,& Sacrorum Canonum lege ſanciuntur, probè ſeruemus, &c.* Nec Conſtitutio noſtra excuſat nos à culpa in hoc caſu,quia quamuis non obliget nos ad culpam, ſed ad pœnam tantum temporalem,tamen non tollit culpam,

quæ

quæ alia lege,vel ratione eſt annexa illi actioni, quæ fit contra Conſtitutionem: ſed intelligitur de ea re, quæ eſt pura Conſtitutio, vt probatum eſt à me in dictis Commentarijs in Procemio litt.A.fol.8.

Sed ſupradicta opinio non placet P.noſtro Dianæ,vt patet in tom.3. ſuarum Reſolutionum Moralium tract.2. de Dubijs Regularium, Reſol.8.

Probat ſuam opinionem contrariam hoc pacto,Conſuetudo,quam affert Peregrinus,oritur ex noſtra Regula, nam ideo cantamus Miſſam ſolemnem in diebus feſtiuis, quia Conſtitutiones p. 1. c. 1. aſſerunt, quod Miſſa ſolemnis diebus feſtiuis celebretur: Sed noſtræ Conſtitutiones,vt patet, non obligant ad peccatum mortale: Ergo neceſſario ſequitur, quod neque conſuetudines ex illis ortę ad illam obligant;cum acceſſorium ſequatur naturam principalis.

Secundo, quando adeſt dubium, An conſuetudo fuerit introducta cum intentione obligandi nec ne, non obligat, quia in dubio nemo præſumitur velle obligari, nec expedit multiplicari præcepta.Ergo cum in noſtro caſu ſaltem dubij ſimus, an dicta conſuetudo canendi Miſſam fuerit à noſtris Patribus introducta cum intentione obligandi, illam non obligare, dicendum omnino eſt.

Tertio illam probat auctoritate P.Gauanti,qui in Commẽtarijs ad Rub.Miſſalis tomo 1.parte 3.titulo 11.num.4.ſic ait: Collegiatæ Regulares tenentur ad Miſſam in Choro, ex vi Regulæ tantum,& conſuetudinis interpretantis Regulam.

Sed reſpondeo ad primum negando maiorem: Nam conſuetudo, quæ nos obligat ad cantandam Miſſam, eſt conſuetudo Eccleſiæ vniuerſalis, approbata à Summis Pontificibus, qui ſub præcepto obedientiæ ordinauerunt,vt obſeruetur, vt patet ex iuribus ſupra allegatis,& non noſtra Conſtitutio,neque conſuetudo noſtræ Religionis tantum;Quæ,licet ex vi ſua non obligent nos ad culpam;tamen cũ ordinent vt obſeruemus id,

quod

quod ſub præcepto obedientiæ eſt nobis per aliam legem ordinatum, non ſolum non tollunt ipſum prçceptum,ſed augent obligationem.

Sed poteſt aliquis obijcere,Patres noſtri, antequam noſtræ Conſtitutiones eſſent confirmatæ à Clemente VIII. non canebant Miſſam ſolemnem quotidie,ſed tantum in diebus feſtiuis de præcepto, ſicut in præſenti tempore, & tamen erant obligati illam canere ex vi conſuetudinis Eccleſiæ vniuerſalis, & ex vi Canonum: Ergo peccabant mortaliter, illam non canendo quotidie.

Reſpondeo verum eſſe,quod erant obligati, ſed poteſt eſſe, quod per viuæ vocis oraculum licentiam illam non canendi quotidie obtinuiſſent ab aliquo ſummo Pontifice, quia in illis temporibus, paſſim erat in vſu concedere ſimiles facultates per viuæ vocis oraculum; Nam non eſt præſumendum,vt dicti Patres,qui erant tantæ timoratæ conſcientiæ, ſine facultate illam omitterent.

Reſpondeo ad ſecundum negando antecedens, & ratio negationis eſt,quia quando lex abſolutè fertur, & non explicat, non habere intentionem obligandi in conſcientia, obligat ad culpam,vel mortalem, vel venialem, ex genere ſuo, vt docet D.Thom. in 1.2.quæſt.96.art.4.in corpore. Reginaldus libr. 13.num.177. Sayrus in lib.3.Clauis Regiæ,cap.7. num.29. & alij.Sed Sotus de Iuſt. & iur.lib.1.quæſt.6.art.4.concl.4.dicit, Tamquam Fides Catholica confitendum eſt, Eccleſiaſticas, ſanctaſque leges obligare in foro conſcientiæ genere ſuo, ſub reatu mortalis maculæ; idem dicit Claudius Carninus contra Nauarrum,in ſuo tract.de Vi, & poteſtate legum humanarum parte 1.cap.6.7.& 8.in fine,addens,eiuſque contrarium, ſalua fide,tuto aſſeri non poſſe, Salon etiam in 2.2.D.Thom.quæſt. 62.art.3.contr.1.concl.1.dicit etiam eſſe de fide.Sed conſuetudo generalis legitimè introducta,& præſcripta, habet vim legis,& dicitur lex non ſcripta.cap.Conſuetudo. diſt. 1. l.de

O qui-

quibus.ff.de legibus: Ergo ſicut lex ſcripta, eo ipſo, quod iuſta eſt, & legitimè promulgata, ex genere ſuo obligat in conſcientia ad culpam mortalem, vel venialem, dum non conſtat de contraria voluntate legiſlatoris: ſic etiam & conſuetudo, quæ eſt lex non ſcripta, dum eſt legitimè introducta, obligat in cõſcientia, ad culpam mortalem, vel venialem, dum contrarium non conſtat de mente illorum, qui illam introduxerunt. Et confirmatur etiam ex voto, quod eſt lex priuata, quam vouens ſibi imponit. Nam emiſſo voto, ſi dubius eſt vouens, non de voto emiſſo, ſed an habuerit animum ſe obligandi nec ne, obligatur, dum certo non apparet non habuiſſe animum ſe obligandi; & ratio eſt, quia votum ex genere ſuo obligat in conſcientia, ſicut & lex.

Et ad rationem, quam adducit, quod in dubio nemo præſumitur velle obligari, reſpondeo, quod conſuetudo generalis legitimè præſcripta habet vim legis, & nihil differt à lege ſcripta, quoad vim, & efficaciam, vt ſupra probatum eſt: ſed interpretatio legis facienda eſt contra eumq́, qui apertiùs legem dicere potuit, & non dixit, vt habetur in c. Contra eum, de Reg. iur. in 6. Ergo in dubio interpretatio conſuetudinis, quæ eſt lex non ſcripta, eſt facienda contra eos, qui illam introduxerunt, qui poterant declarare, non habere intentionem obligãdi ſe ad dictam conſuetudinem obſeruandam, & non fecerunt. Et ad illud, quod dicit, non expedire multiplicari præcepta, dico eſſe verum abſque neceſſitate: ſed in caſu noſtro, conſuetudo iam eſt introducta, quæ eſt lex Eccleſiaſtica non ſcripta, & eſt de re graui, & ad bonum commune Eccleſiæ vniuerſalis: Ergo ex genere ſuo obligat ad peccatum mortale. Et ſibi ipſis imputent introducentes, qui poterant à principio declarare eorum intentionem, & non declarauerunt. Præterea Summi Pontifices, qui impoſuerunt præceptum peccati mortalis, & alias pœnas pro eius obſeruantia, fuerunt ad id coacti propter inobſeruantias Eccleſiaſticorum, vt patet ex capitulo

Do-

Dolentes, & Clementina prima de Celebratione Miſſarum.

Ad conſequentiam dicti ſecundi argumenti dico, negando illam, quod uis dictæ obligationis non conſiſtit in conſuetudine noſtræ Religionis, ſed in conſuetudine Eccleſiæ vniuerſalis & in præceptis Summorum Pontificum, quæ iura ſunt vniuerſalia, & obligant omnes.

Ad tertium, Reſpondeo primo, Quod authoritas d. Patris non cogit nos ad ſequendam ſuam opinionem.

Secundo, ſunt alij Doctores, qui contrarium ſentiunt, vt Corduba in ſuis Annotationibus ad Compendium Priuilegiorum Minorum tit. Monialis, verſ. Secundum punctum eſt, &c. Sylu. verb. Miſſa. 1. q. 4. Angelus eodem verbo. §. 33.

Tertio, ipſe non probat, quod Regulares ex vi Regulæ tantum, & conſuetudinis interpretantis Regulam teneantur ad Miſſam in Choro; Et ſupra ego probaui, quod tenentur de Iure communi, & ſub præcepto peccati mortalis illam cantare in ſuis Eccleſijs conuentualibus, in quibus adeſt numerus ſufficiens ad illam celebrandam, niſi aliqua iuſta cauſa excuſentur; ſicut excuſamur nos, illam non canendo quotidie, vt dictum eſt ſupra, verſ. Verum eſt, &c. Vnde reiectis contrarijs, remanet firma noſtra opinio.

Duodecimo Quæritur, An Regulares virtute ſuorum Priuilegiorum, poſſint commutare, vel diſpenſare vota extra Confeſſionem?

Ego in meis ſcholijs ad Compendium Priuilegiorum meæ Religionis tit. Commutatio poſt §. 3. teneo, quod non debent, nec poſſunt hoc facere, niſi in Sacramento pœnitentiæ: ſimiliter & illi, qui virtute alicuius Bullæ commutant, & diſpēſant. Probo meam opinionem authoritate Cordubæ in Summa, quæſt. 152. & Hieronymi Sorbi Capuccini in ſuis Annotationibus ad Compendium Priuilegiorum Minorum, tit. Votum, verſ. Septimo eſt notandum, &c.

Dico etiam, quod non deſunt aliqui, qui aliter ſentiunt; ſed

tutior eſt prima opinio,& in praxi obſeruatur. Nunc pro confirmatione meæ opinionis,dico, quod dicta priuilegia fuerunt cōceſſa Confeſſarijs Regularibus à ſūmis Pontificibus,ad hoc, vt liberè, & cum maiori ſatisfactione pœnitentium, poſſent Sacramentum pœnitentiæ illis miniſtrare. Vnde audita prius Sacramentali confeſſione, poſſunt commutare, & diſpenſare; & hæc eſt praxis Sacræ Pœnitentiariæ Romanæ, quando per Breue dat hanc facultatem,à qua Confeſſarij diſcedere non debent;nam,cum magna conſideratione,& conſultatione,anno 1612.fuerunt formulæ dicti fori recognitæ. In quibus ferè omnibus habetur hęc clauſula, *Audita prius ipſius Sacramentali confeſſione*;& hæc non ſolum in commutatione,& diſpenſatione votorum, ſed etiam in diſpenſatione ab irregularitate, & abſolutione à Cenſuris.

Præterea non eſt præſumendum, quod Summi Pontifices noluerint facere differentiam inter poteſtatem ordinariam, quam habent Epiſcopi,ab illa,quam habent Confeſſarij, quæ eſt delegata ad finem ſupradictum.Et differentia hęc eſt,quod illi abſoluunt poteſtate ordinaria in confeſſione Sacramentali, & extra illam: & Confeſſarij Regulares ex poteſtate delegata, & in Sacramentali confeſſione tantum.

Inſuper ſicut perſonæ prudentis eſt,ſemper ac poteſt,incedere per viam tutam, ſic etiam eſt, facere ſuas actiones tutas, dum poteſt,& non exponere illas ſub opinione Doctorum: ſic enim operatus ſum pro ſalute animæ meæ, ſic etiam alijs conſulo.

P. noſter Diana in 3.Volum.Moralium Reſolution. tract.2. de Dubijs Regularium, Reſol. 9. & 20.tenet contrariam ſententiam aduerſus meam,& illam probat.

Primo, Quia noſtra priuilegia ſunt à nobis amplianda, & non reſtringenda.

Secundo probat authoritate aliquorum Doctorum.

Tertio, illam ampliat non oportere, vt commutans vota vir-

virtute priuilegiorum,ſit Confeſſarius vouentis, quia priuilegia ſolum petunt Confeſſarium ex approbatis ab Ordinario.

Ad primum reſpondeo,priuilegia non eſſe amplianda abſq; ratione; item non eſſe amplianda abſque neceſſitate; tertio nõ eſſe amplianda contra intentionem, & voluntatem Principis concedentis ∴ ſed hæc omnia ſequerentur ex ſua ampliatione ∴ Ergo non eſt admittenda; Nam ex iſtis ampliationibus, & expoſitionibus hoc modo factis,oritur, vt Epiſcopi conquerantur, & Summi Pontifices reuocent priuilegia Regularibus conceſſa, & ſic ex defectu vnius, vel paucorum, multi patiuntur.

Ad ſecundum dico, quod licet magnifaciam authoritates Doctorum,tamen ratio,& praxis Pœnitentiariæ Romanę magis me mouet ad ſequendam meam opinionem; & etiam,quia eſt tutior in beneficium vouentis.

Ad tertium, in quo ampliat ſuam opinionem, non oportet reſpondere,quia ſublato principali,corruit acceſſorium.

Decimotertio,In noſtra Congregatione adeſt Decretum Capituli Generalis prohibens.ne alicui vnius Domus Confeſſario, alter alterius Domus confiteri liceat. par.1. c.6.num.2. Quæritur nunc, An quis ex præſumpta voluntate Superioris poſſit aliquem abſoluere?

Ego in meis Commentarijs ad Conſtitutiones Clericorum Regularium part. 1.cap.9.lit.C.§.3.teneo poſſe fieri in aliquo caſu,ſed non ſæpe.

Sed hæc opinio(inquit P.Diana in volum. 3. Reſol. Moral. tract.2.de Dubijs Regular.Reſol.11.) abſolutè, & ſine diſtinctione prolata,mihi ſummopere diſplicet. Sed ego dico,quod non debet ei diſplicere;nam licet breue ſit illud commentum, eſt tamen clarum.

Primo,Quia præſumpta voluntas eſt de præſenti, & antequam abſoluat, præſupponit adeſſe voluntatem Superioris; Et in hoc differt à ſpe ratihabitionis, quæ ſemper eſt de futuro,

ro,& ſuſpendit actum;& illa Regula iuris, Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non dubitamus comparari, non habet locum in hoc caſu, cuius effectus dependet à voluntate Dei, ſed tantum in rebus, quæ pendent ex voluntate, & mandato hominis,vt explicat Medina in Codice de Confeſſione, q.31. coroll. 1.& refert,& ſequitur Reginaldus in ſua praxi fori Pœnitentialis, lib. 1. num. 89. vbi bene tractat hanc materiam num.89. 90. & 91.

Secundo, ſi voluntas de præſenti eſt præſumpta: Ergo ex aliquo ſigno exteriori rationabili, neceſſe eſt, vt ſit orta talis præſumptio; Nam aliàs non eſſet præſumptio, ſed temeritas.

Signum poteſt eſſe, ſi Superior pœnitentis videt ſuum ſubditum velle alteri Confeſſario confiteri, & tacens diſſimulat, cum poſſit prohibere. Alterum ſignum poteſt eſſe, ſi Superior pœnitentis aliquando dixerit, ſibi placere talem Sacerdotem audire confeſſiones ſuorum ſubditorum. Vel aliud ſimile.